

quæ non est ejus, dicitur educere suum effectum de potentia passivi: dicimus quod fantasia non in virtute propria, sed in virtute luminis intellectus agentis, non quidem immittat speciem intelligibilem ab extra: sed faciat intellectum possibilem, potentiam informatum specie, actu informatum. Aliquo ergo modo erat hujusmodi species in potentia passivi: & eo modo, quo erat in potentia passivi, dicitur de potentia passivi educari: non quod aliquid de illa specie esset in intellectu possibili ante hujusmodi educationem: sicut nec aliquid de forma est in materia ante inductionem ejus. Si autem aliquando inveniatur, quod tales species sint ab extra, intelligentum est hujusmodi dictum comparativè; quia formæ intentionales non sunt sic in potentia passivi, ut reales: ratione cuius aliquando dicuntur non educari de potentia passivi. Et propter hanc causam, quia hujusmodi intentionales formæ non sunt sic in potentia passivi, ut reales; Ideo non incongrue dicuntur esse ab extra: vel non dicuntur per se generari ut in quæstione illa superius de hoc quæsita diffusius dicebatur.

## QVÆSTIO II.

QUOD LIBETI XXII.

*Vtrum voluntas possit simul in plura ferri?*

De divina voluntate, an possit simul ferri in contraria? tractat Egidius quodlibet 4 q. 2. ubi videri potest cum auctoribus citatis. & est hinc relata in 3. sent.

*Hic vero tres quæstiones distinguit, & secundum illam distinctionem respondet ad propositam quæstionem, ut patet sub initio textus.*

**S**ECUNDO Quærebatur de potentijis appetitivis secundum se: & erat quæstio de voluntate, utrum possit simul in plura ferri?

ET ARGVIEBATVR, quod sic;

nam, ut dicebatur, simul in patria erit aureola & gaudium de bono in-creato: & aureola, id est gaudium de aliquo bono creato arduo, & privilegiato, cujusmodi est subire martyrium, quod pertinet ad irascibilem: vel servare virginitatem, quod per-tinet ad concupiscibilem: vel docere scripturam sacram, quod pertinet ad rationalem: quæ opera in charitate facta sunt ardua, & privilegiata & merentur aureolam: quare, si simul est utrumque gaudium, simul fertur voluntas in plura.

Præterea Christus summè fruebatur, & summè patiebatur in passione, quia erat simul viator & comprehensor: Sed hoc non posset esse, nisi potentia appetitiva posset simul in plura ferri: ergo &c.

Præterea dæmones aliquid gaudium habent: gaudent enim de possessione hominum, ut dicit Aug. 21. de ci. dei, cap. 6. Sed ipsi sunt in magno cruciati: & tamen aliquo modo gaudent: ergo voluntas eorum simul in plura fertur.

IN CONTRARIVM est, quia secundum Avicen. in 6. de naturalibus, etiam plures potentiae non possunt simul in plura ferri: nam quando aliqua potentia multum est intenta ad actum suum, alia potentia retrahitur à suo actu; ut cum multum intentus est quis ad videndum aliquod mirabile, ab audiendo retrahitur, ut nou percipiat, quid sibi dicatur. Arguat ergo sic; plures potentiae non possunt simul in plura ferri; ergo multo magis nec voluntas, quæ est una eademque potentia.

## RESOLVTO.

*Voluntas potest simul ferri in plura se non impedientia simpliciter: & in impe-dientia perfectè supernaturaliter: aut etiam naturaliter, sed imperfec-tè.*

**R**ESPONDEO dicendum, quod, cum queritur; utrum voluntas possit in plura ferri simul? opus sit uti triplici distinctione: nam plura vel sic se habent, quod unum

fit alterius impeditivum : vel unum non sit impeditivum alterius , sed fit ratio & inductivum ejus ; ut , quia lux est ratio , quare videatur color , simul fertur oculus in lucem & colorem : & quia principia sunt ratio cognoscendi conclusiones , simul potest ferri intellectus in conclusiones & in principia , quia sunt ratio cognoscendi conclusiones . Vnde & philosophus circa primum primi posteriorum , loquens de cognitione minoris propositionis respectu conclusionis , ait , quod simul inducens cognovit , simul enim inducitur minor proposicio in majorem , & elicitur conclusio ex utrisque : ut si scio , omnem mulam esse sterilem , simul induco , hoc particulare animal est mula : & elicio conclusionem , quod fit sterilis . Minor ergo propositio , quia est ratio cognoscendi conclusionem , ut inducitur in majorem , simul fit inductio minoris , & cognitione conclusionis . Non enim negamus , quod principia , ut sunt quoddam objectum intelligibile , possint intelligi ab intellectu absque cognitione conclusionum : tamen cogimur concedere , quod , ut sint ratio cognoscendi conclusiones simul possint cognosci principia & conclusiones . sic etiam simul fertur voluntas in finem , prout finis est ratio volendi , quod est ad finem .

<sup>2. ut sit im-</sup>  
<sup>peditur , & conside-</sup>  
<sup>retur secun-</sup>  
<sup>dum parti</sup>  
<sup>cularem</sup>  
<sup>Dei concur-</sup>  
<sup>suum .</sup>

SECVNDA distinctio est , quia dato quod illa plura sic se habeant , quod unum non sit ratio alterius nec inductivum ejus , sed magis sit impeditivum ipsius , distinguendum est de modo fiendi . Quia vel hoc fit secundum naturae cursum : vel secundum specialem Dei dispensationem . Si autem secundum specialem Dei dispensationem ; non est inconveniens , idem aliquo modo in plura ferri : quia per Dei potentiam fieri potest quod illud , quod secundum naturae cursum est alterius impeditivum , secundum specialem Dei dispensationem fiat alterius non impeditivum .

<sup>3. ut secun-</sup>  
<sup>dum com-</sup>  
<sup>mune</sup>  
<sup>cursum na-</sup>  
<sup>ture .</sup>

TERTIA DISTINCTIO est , quia dato , quod illa plura sic se habeant , quod unum sit alterius impeditivum : & quod modus fiendi sit secundum naturae cursum ; adhuc est tertio distinguendum . Quia vel illa plura , seu

aliquid illorum , habet esse perfectum & integrum : vel nullū illorum est tale , sed quodlibet est aliquo modo imperfectum . Sic enim videmus in rebus naturalibus , illud esse albius , quod est nigro impermixtius : Illud autem esse albissimum , quod nullam habet permixtionem nigri : illud nigerrimum , quod nullam habet permixtionem albi : illud autem medio modo , quod participat de utroque .

Si ergo quereretur : utrum aliquid possit simul esse album & nigrum ? diceretur quod perfectè non : quia perfectè album non compatitur secundum de permixtione nigri : nec è converso : imperfectè autem potest ; quia imperfectè album secum compatitur aliquam permixtionem nigri , & è converso . Sic & potentia , quantumcumque aliqua plura se invicem impediunt , potest ita illa ferri imperfectè : sicut aliquis potest imperfectè gaudere de uno , & imperfectè tristari de alio : licet enim gaudium de se sit aptum natum amovere tristitiam ; non tamen oportet quod imperfectum gaudium amoveat omnem tristitiam .

PRIMA ERGO distinctio innititur diversitati objectorum , prout objecta diversitatem inter se possunt habere ; ut prout unum aliud impedit , vel non impedit . Secunda innititur diversitati modi agendi , prout fit aliquid secundum naturae cursum , vel secundum Dei specialem dispensationem . Tertia autem innititur , diversitati actuum , prout actus est perfectus non habens admixtionem contrarij , vel imperfectus habens aliquam admixtionem ejus .

SECVNDVM HAS autem tres & secundæ distinctiones possunt solvi tria præfata argumenta : est enim veritas quæstionis , quod in plura se impudentia , secundum naturae cursum , & perfectè , simul voluntas ferri non possit . Sed in plura se non impudentia : vel non secundum naturae cursum : vel non perfectè possit ferri simul voluntas .

QVOD ergo arguitur primo de aurea & de aureola , solvit per distinctionem primam : nam gaudium de bono increato est ratio , quod beati gaudeant

gaudeant de bono aliquo creato: nam sicut beati alia diligent propter Deum; sic gaudium, quod habebunt de bonis creatis, erit ordinatū ad gaudium, quod habebunt de Deo: unum ergo non impedit aliud, sed ordinabitur ad aliud. Illa ergo duo gaudia se non impedient: quia unum erit ratio cur fiat aliud: vel saltem, unum ordinabitur ad aliud: & hoc sufficiet ut se invicem non impedian.

QVOD AVTEM arguebatur secundo de *Christo* solvitur per distinctionem secundam; quia hoc non fiebat secundum naturae cursum; sed secundum Dei dispensationem: nam ex dispensatione Dei fiebat, quod quaelibet natura in Christo sua propria ageret; *Vnde Damasc. lib. 3. c. 19.* dicit, quod naturales nostrae animae passiones secundum naturam & supra naturam fuerunt in Christo; Secundum enim naturam movebantur apud ipsum, quia permittebat & concedebat carnem pati, quæ carni propria erant. Patiebatur ergo caro, quæ propria erant, ut gaudium fruitionis, ex Dei dispensatione, dolorem illum minimè impediret. Voluntas ergo, quæ fruebatur Deo, acceptabat dolorem illum propter Deum. Secundum autem naturae cursum tantus dolor non stetisset cum tanto gaudio:

Quod vero arguebatur tertio de Dæmonibus, solvitur per tertiam distinctionem: quod si habent aliquod gaudium, hoc sit quia non est omnino consummata eorum pæna; ita ut ipsi dicerent *Christo Matthei 8. venisti ante tempus torquere nos.* Forte enim post diem judicij sic erit consummata eorum pæna, quod non compatietur secum aliquod gaudium. Sed quæ sit veritas hujusmodi, utrum nunc possint Dæmones de aliquo gaudere? Et, utrum à dæmonibus post diem judicij tollatur omne gaudium? Non est præsentis speculationis: sufficiat autem ad præsens scire, quod, secundum naturae cursum, ex imperfectione rei, sit quod compatiatur secum aliquid de opposito: ut ex imperfectione albi est quod compatiatur secum aliquid de permixtione nigri. Propter quod si aliqua

creatura rationalis simul tristetur & gaudeat; vel est ex speciali Dei, dispensatione, sit quod ista se non impediant, vel ex imperfectione virtutum; ut quia non perfecte participat hoc vel illud.

ARGVMENTVM ETIAM in contrarium eadem via procedebat: nam quia plures potentiae sunt radicatae in eadem essentia animæ, ideo se invicem impediunt: sicut si duæ rotæ essent fixæ in aliquo stipite, si una moveretur ad partem unam, non posset alia moveri ad partem aliam: Sic, cum aliqua potentia fortiter fertur in aliquod objectum retrahitur potentia alia, ne forte feratur in aliquod objectum aliud. Vnde & proverbialiter dicitur: *pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Licet autem non sit omnino simile de duabus rotis fixis in eodem stipite, & duabus potentijs radicatis in essentia animæ: quia etsi debiliter moveretur rota aliqua ad partem unam, non posset moveri rota alia ad partem aliam, quod non contingit in potentijs animæ: tamen, quantum ad motum, forte est aliquo modo simile hic & ibi: quia si potentia aliqua moveretur fortiter in objectum aliquod, impeditur potentia alia ne feratur fortiter in objectum aliud, & maximè cum objecta sunt diversa, non ad invicem ordinata.

## QVÆSTIO III.

### QVODLIBETI XXIII.

*Vtrum intellectus prius fluat ab essentia animæ, quam voluntas*

*De distinctione potentiarum ab anima habet Aegidius quodl. 3. q. x. cum auctoribus ibi citatis. de emunatione vero catundum habent conimbr. ibid. citati.*

*Aegidius autem hic ostendit triplici argumento, intellectum & voluntatem sic fluere ab essentia animæ, ut ille prius, hæc posterius, iuxta ordinem in textu assignatum.*



ERTIO quærebatur de potentijs appetitivis in comparatione ad cognitivas; utrum voluntas prius fluat ab essentia animæ, quam intellectus, vel

è converso?

ET ARGVEBATVR, quod intellectus prius fluat quia si actus procedat actum, etiam potentia potentiam: cum ergo actus intellectus præcedat actum voluntatis, oportet quod & ipsa potentia intellectiva præcedat potentiam appetitivam, sive voluntatem: & per consequens, oportet quod intellectus prius fluat ab essentia animæ, quam voluntas.

IN CONTRARIVM est; quia voluntas est per se exterior, quam intellectus: & per consequens, cum sit perfectior, videretur prius fluere ab essentia animæ, quam intellectus.

### R E S O L V T I O .

*Quia intellectus recipit speciem & formam, secundum quam voluntas tendit in objectum, & quia illius actus præcedit actum hujus, & quia voluntas non fertur in objectum, nisi sub ratione boni & finis, intellectu illud representante: hinc ille generatione prius fluat ab anima, hac posterius.*

fluunt ab anima potentia quod can ordine  
**R**ESPONDEO, Dicendum, quod natura sit determinata ad aliquid unum: quæ ergo naturaliter fluunt ab aliquo uno, oportet quod fluant secundum quendam ordinem, ut unum fluat mediante alio. Credidit enim Avicenna in metaphysica sua, tantam esse veritatem hujus dicti, ut etiam ab ipso Deo nullo modo plura immediatè producerentur. Sed in quæstionibus nostris de primo principio, & 2. sententiis, hanc opinionem diffisiū improbabimus. Ad præfens autem scire sufficiat, quod in his, quæ fluunt naturaliter ab aliquo, eo quod natura sit determinata ad unum, veritatem habeat quod dicitur, quod unum fluat mediante alio: & quia potentiae

animæ, & maximè potentiae non organicæ, naturaliter ab ipsa essentia animæ fluunt, & in hujusmodi essentia radicantur: oportet quod hoc sit secundum quendam ordinem, & quod una fluat mediante alia.

VISO, quomodo oporteat dare aliquem ordinem in fluxu & origine talium potentiarum? ut, quod non æquè immediatè ab essentia animæ fluant: oportet videre, quæ illarū fluant prius, & quæ posterius?

Investigabimus autem triplici viâ, quod intellectus prius fluat ab essentia animæ, quam voluntas. Prima via sumetur ex ipsis potentijs. Secunda ex ipsis actibus. Tertia ex ipsis objectis.

præs autē intellectus quām voluntas quod ostenditur tripliciter i. ex comparatione ad appetum naturalem.  
PRIMA sic patet: imaginabimus enim, quod appetitus etiam aliquo modo in ipsis rebus naturalibus inventatur: secundum quod dicimus gravia appetere esse deorsum, & levia sursum: in rebus autem naturalibus nihil est aliud appetitus, quam quædam inclinatio consequens formam naturalem: est autem verum in rebus naturalibus, quod prius intelligantur naturalia habere formam, quam habere inclinationem sequentem formam. Licet enim ista se non præcedant tempore, quod scilicet aliquid consequatur formam & inclinationem secundum illam formam: præcedunt se tamen natura & origine: quia natura & origine prius intelligitur habere unum quam aliud. Quod si volumus juxta formam & inclinationem sequentem formam accipere in anima intellectum & voluntatem: Dicemus, in anima esse duas potentias; unam, per quam potest recipere speciem & formam: & hæc potentia est intellectus: & aliam, per quam potest inclinare & ferri secundum speciem receptam, sive secundum formam, & hæc est voluntas. Quare sicut prius est recipere formam, quam inclinari secundum formam: Sic prius est potentia intellectiva, per quam potest anima recipere species & formas, quam sit potentia volitiva, per quam potest anima inclinari & ferri secundum species receptas; sive secundum formas, & origine & natura, licet tempore, ex parte ipsarum potentiarum, intellectus

intellectus non sit prior voluntate, & prius fluit ab essentia animæ, quam voluntas.

<sup>2. ex parte actuum ut riusque potest.</sup> SECVNDA VIA ad hoc idem sumitur ex parte actuum: quia, ut in arguendo tangebatur, actus intellectus naturaliter præcedit actum voluntatis: nam bonum, quod est objectum voluntatis, est bonum apprehensum, ut declarari habet in 3. de anima. Et secundum Aug. in 3. de trinitate invisa diligere possumus, incognita nequaquam. Possumus enim diligere & velle, que non videmus: sed non possumus diligere & velle que nullo modo cognovimus. Non ergo potest esse aliquid volitum, nisi sit aliquo modo cognitum, aliquo modo apprehensum. Origine itaque, et si non duratione & tempore, actus intelligendi præcedit actum volendi: quare si suo modo est proportio potentiae ad potentiam, sicut actus ad actum, ex quo actus intelligendi præcedit actum volendi, saltem naturam prius intelligitur fluere intellectus ab essentia animæ, quam voluntas.

<sup>3. ex parte objecti.</sup> TERTIA VIA ad hoc idem sumitur ex parte objecti: nam objectum voluntatis est aliquid sub ratione boni: & finis & bonum idem sunt, ut dicit commentator sup. 11. metaphysica. & in 2. physicorum. Vbi deridetur ille poëta dicens, mortem esse finem omnium, quia, ut ibi dicitur, finis non solum est quid ultimum: sed est etiam quid optimum. Finis itaque est quid ultimum, & quid perfectissimum; quantum enim ad esse finis, est quid ultimum: licet quantum ad intentionem sit quid primum. Quare si in ordine potentiarum non solum attendus sit ordo naturae ipsarum, ut arguebat ratio prima, & ordo actuum, ut arguebat ratio secunda: sed etiam ordo objectorum, cui innititur haec ratio tertia, quantum ad esse, & generationem, et si non quantum ad perfectionem & complementum, intellectus præcedit voluntatem, sicut & res, ut est objectum intellectus, & ut est apprehensa sub ratione veri, præcedit seipsum, ut est objectum voluntatis, & ut est volita sub ratione boni. Immò, quia prius sunt res ap-

prehensæ, & ut sunt in anima, & ut sunt veræ, & ut sunt objectum intellectus, quam ut sunt volitæ, & ut sunt objectum voluntatis; ex parte ipsorum objectorum arguere possumus, quod origine & natura prius fluit ab essentia animæ intellectus, quam voluntas.

AD ARGVMENTVM autem in contrarium, dicendum, quod non argumentat propositum, sed oppositum. Nam et si voluntas sit prior, quam intellectus dignitate & perfectione; non ex hoc sequitur, quod sit prior generatione & origine; ut, quod prius originetur ab essentia animæ, quam intellectus. Immo magis consequitur è converso, quia quæ sunt priora perfectione & dignitate, sunt posteriora generatione & origine ut patet per Aug. in lib. sup. genes. ad literam in pluribus locis: ubi vult, quod generatione & origine prius sit aliquid in forme quam formatum. Cum tamen nulli dubium sit quin perfectione & complemento formatum sit prius quam informe.

## DISPVTA TIO

### Q V I N T A.

*De creatura rationali composita  
ut tali, quantum ad præsentem vitam.*



OSTEA quærebatur de rationali creatura secundum statum presentis vitæ quantum ad totum conjunctū. Circa quod quærebantur tria, secundum quod rationalis creatura hoc modo, quantum ad præsens, spectata tripliciter potest considerari. Primo quidem, quantum ad ipsos redditus, & ipsa necessaria, per quæ potest se in vita continuare: & circa hoc erat quæstio: utrum esset licitum emere redditus ad vitam? Secundò potest considerari quantum ad violentiam, per quam potest vitam perdere: & circa hoc erat quæstio: utrum si quis imperfectus sit ab aliquo per violentiam, per supervenientem occisorem, plagæ imperfecti emanatae.

emanarent sanguine? Tertio considerari potest rationalis creatura, prout per divinam potentiam, eam resuscitantem, potest hanc vitam recuperare: & circa hoc erat quæstio: utrum religiosus resuscitatus ad hanc vitam mortalem teneatur religionem ingredi, vel possit cum salute manere in sæculo.

*pareat, etiam hæc non est Licitæ; quamvis sub aliqua cautela possit talis malitia excludi, & tunc licet talis emptio fieri.*

## QVÆSTIO I.

### QVODLIBETI XXIV.

*Vtrum liceat emere redditus ad vitam?*

De hac quæstione videndi Theologi secundâ secundæ in expresso tractatu de redditibus, Molina, Lessius, Malerus, & alij.

*Aegidius autem tractat juxta partitionem speciatim in textu habitam.*



D PRIMVM sic procedebatur: ostendebatur enim, quod non liceat emere redditus ad vitam; eo quod sit ibi quædam species usuræ. Nam, ut dicebatur, non refert, si de duodecim libris quolibet anno accipiatur solidus: vel si in duodecim annis accipientur duodecim solidi: Accipere enim ultra sortem sive in modico tempore, sive in multo, ad usuram pertinere videatur: & quia emens hujusmodi redditus, saltem in multo tempore accipit ultra sortem: vel nullo modo emeret, si non speraret posse se accipere ultra sortem, cum sola spes faciat usurarium, juxta illud, *mutuum dantes nihil inde sperantes*; erit ibi contractus usurarius.

IN CONTRARIVM est, ut dicebatur, quia multæ Beginæ emunt hujusmodi redditus: & dicunt, se hoc facere de consilio religiosarum personarum.

### RESOLVATIO

*Cum usura sit illicita & in emptione redditus vitalis species quædam usuræ ap-*

**R** ESPONDEO, Dicendū, quod <sup>quid tri-</sup> hoc ordine procedemus in hac <sup>& quomodo?</sup> quæstione: quia primo dice-<sup>quomodo?</sup> mus, quid sit usura? & quomodo in aliquibus reperiatur ratio usuræ? Se-<sup>x. quid sit</sup> cundū declarabimus, quomodo in ta-<sup>usura? &</sup> li emptione habeat esse quædam spe-<sup>ubiq. inven-</sup> cies usuræ? Tertiò ostendemus, quo-<sup>naturæ?</sup> modo talis emptio possit bene fie-<sup>ri?</sup>

PROPTERE primum sciendum, quod usura, secundum unum modum <sup>x. quid sit</sup> ethymologizandi, dicatur quasi usus <sup>usura? &</sup> æris: nam de usu æris, sive de usu <sup>aut rapina</sup> pecuniae non potest accipi pensio: & si accipiat, vocatur usura: ergo ab usu æris dicta est usura. Alio modo potest exponi hoc vocabulum, usura, ut dicatur quasi rapina usus. Vtrumque <sup>quid sit</sup> autem eorum verum est: quia unum <sup>usus æris</sup> concomitatur aliud: quia si de usu <sup>aut rapina</sup> æris accipiat pensio, erit ibi rapina <sup>usus?</sup>: nam non potest accipi pensio de usu æris, nisi acciperetur pensio de eo, quod non est accipientis: habere autem pensionem de eo, quod non est habentis, est illud rapere, vel est habere illud per modum rapinæ. *Raimundus quidem in 2. parte sue summe in c. 7. de usuris*, describit, usuram esse usum æris: non tamen, ut diximus, inconvenienter dicitur rapina usus.

Quod sic declaratur; nam in ali-<sup>quis rebus potest concedi usus rei,</sup> quibus eo, quod concedatur substancialia: & quia, quamdiu habet aliquis dominium substantiæ, ad ipsam per-<sup>tinet usus ejus, cum cuilibet liceat vendere quod suum est, retinendo si-  
bi dominium substantiæ, potest usum ejus vendere, & de hoc accipere pensionem; ut patet in locatione domus, aut alicujus alterius rei, ubi con-  
cessio usus potest separari ab alienatione substanciali: nam usus domus est habitare domum: & usus equi est equitare equum. Potest autem quis concedere usum domus, ut quod inha-  
bitaret quis domum, absque eo, quod posset</sup>

posset alienare domum, & usum equi, quo equitet equum, absque eo, quod posset alienare equum. Retinendo ergo fibi possessionem domus vel equi potest vendere usum utriusque, & accipere inde pensionem.

duplex usus pecuniae. Sed non est sic in usu æris; & in usu pecuniae: nam usus pecuniae est alienare pecuniam: non ergo poterit concedi usus pecuniae nisi concedatur substantia: nam posse alienare rem est habere posse in ipsam substantiam rei: sed cuius est substantia eius est usus: quare, si non potest concedi usus, nisi concedatur substantia, quis vellet de tali usu accipere pensionem, vellet habere emolumentum de eo, quod non esset suum: nam non potest quis concedere rei substantiam nisi concedat & usum, concessâ enim rei substantiâ, jam usus substantiae non ulterius pertinet ad ipsam: quare sine rapina, & sine usurpatione ejus, quod non est suum, non poterit ex hoc accipere pensionem: in usura ergo vere ad impletur illua, quod proverbialiter dicitur: *quod ait qui volunt vendere hortum, & comedere inde caules.* Quia ergo vendidisti hortum, & hortus non ulterius pertinet ad te, non pertinebit ad te usus horti, ut possis inde habere caules, aut aliquod aliud emolumentum. Sic & in proposito, ex quo ipsam substantiam pecuniae das, non ulterius pertinebit ad te usus pecuniae, ut possis inde aliud recipere. Quare usura quidam modus rapinæ est quia est usurpare quod no est suum: vel accipere emolumentum de eo, quod non spectat ad ipsum. Sic est ergo dicendum de proprio usu pecuniae: quia non potest concedi talis usus, nisi concedatur substantia.

Sed non est inconveniens, rem habere diversos usus: ut usus subtalaris est calceato, posset tamen quis uti subtalari ad hauriendum aquam: Sic proprius usus pecuniae est alienare, & expendere pecuniam: potest tamen quis uti pecuniâ non ad expendendum, sed ad apparendum. In primo autem casu usus, non potest concedi, nisi concedatur substantia; propter quod de tali usu non poterit accipi pensio.

Sed secundus usus potest concedi absque substantia: propter quod si inde accipiatur pensio, non erit ibi usura. Si quis enim concedit alijs pecuniam, non ut expendat eam, sed ut appareat dives, non concedit substantiam pecuniae: & quia ad eum pertinet substantia, pertinebit ad eum usus: & si de hoc accipiat emolumentum, non est ibi rapina, nec usura; vendit enim quod suum est, & sic ex proprio usu æris non potest accipi pensio, sed ex usu non proprio.

Sic, è converso in rebus alijs, ex proprio usu poterit accipi pensio: poterit tamen esse aliquis usus non proprius, de quo si emolumentum acciperetur, committeretur usura: proprius usus domus est inhabitare domum: & quia potest concedi inhabitatio domus absque eo, quod concedatur substantia, poterit de habitacione domus per aliquod tempus accipi pensio: quia ex quo non concessisti substantiam domus, substantia domus est tua: & per consequens usus ejus. Quare, si vendas usum nulli injuriaris: sed vendis quod tuum est. Sed si quis uteretur domo, non ad habitandum sed ad alienandum: & de alienata domo vellet habere emolumentum, consequens esset, quod vellet habere emolumentum de eo, quod non esset suum: ideo si quis ita venderet domum pro certo pretio, per aliquod spatium temporis: & vellet habere aliquid ultra sortem, usuram committeret.

IGITVR DVPLICITER quasi ratio tacta est, quare de usu pecuniae proprio non potest accipi pensio? Una ratio est, quia proprius usus pecuniae non potest concedi, nisi concedatur substantia: & quia, si substantia non est tua, non est tuus usus, de usu emolumentum accipiens rapinam committis. Alia quidem ratio tacta est, quia de re alienata nullo modo possumus justè accipere pensionem: ut si vendat quis tibi domum, jam est domus alienata & jam est facta aliena. Nullo ergo modo licet de ea ex tunc emolumentum accipere. Sic cum proprius usus pecuniae sit eam expendere, & alienare, nullus potest alij pecuniam tradere.

ad expendendum, nisi eam alienet. Velle ergo de pecunia jam alij tradita, & f. & a aliena emolumentum accipere est velle de re jam facta aliena pensionem sumere: quod sine rapina esse non potest.

<sup>varie aucto  
rum senten-  
tiae.</sup> EVERVNT AVTEM nonnulli volentes reddere rationem de usura, quod sit illicita, dicentes; quod vendatur ibi tempus, quod est unum & idem temporalium omnium. Et quod est quid commune: ut si nunc aliquis tradat decem, & post annum vult habere duodecim, videtur vendere tempus unius anni. Sed hoc etiam modo, sine peccato posset vendi tempus in alijs rebus: ut posset quis alii tradere decem equos, sub hoc pacto, quod post annum redderet sibi duodecim equos, illos scilicet decem, & duos alios; ubi nulla esset usura.

Alij autem dixerunt usuram esse illicitam: quia res aliæ deteriorantur, ideo potest inde accipi pensio: non autem, ut dicunt, sic deterioratur pecunia.

<sup>refutatur  
eorum sent.</sup> Sed & hoc non est benè dictum: nam de scypho argenteo posset quis accipere pensionem, datō, quod in nullo deterioraretur scyphus ille. Liber etiam, si benè custoditur, propter legere in eo non deterioratur: & tamen posset de eo accipi pensio; & sub hoc pacto, quod si deturparetur, vel deterioraretur liber, quod accipiens librum sub pensione teneretur ad emendandum.

ALII AVTEM dixerunt, usuram esse illicitam, quia nullum est periculum in usura, sicut in alijs mercationibus: nam usurarius ita stat ad lucrum quod non stet ad damnum.

Sed nec hoc sufficit: quia posset aliquis licite accipere pensionem de re aliqua præstata, etiamsi cavereatur per fidejussionem, vel aliquo alio modo, de periculo præstitoris.

Recurrendum est ergo ad rationes prætactas, & dicendum, usuram esse illicitam propter assignatas causas.

<sup>quomodo  
in emptione  
redit.  
vitalium  
fit quædam  
species  
ultra?</sup> VISO, QVOMODO usura sit illicita? de levi potest ostendi, quomodo in exceptione reddituum ad vitam sit quædam species usuræ? Ita quod si emens hujusmodi redditus ac-

cipiat ex redditibus ultra id, quod dedit, quandam speciem usuræ committat. Dicatum est enim, quod usura dicitur ab usu æris; ita quod de usu æris, vel de usu pecuniæ non debeat emolumentum accipi. Vel usura, ut dicebatur, dicta est à rapina usus: Quia de usu pecuniæ non potest accipi pensio sine rapina.

Cum igitur in emendo redditus ad vitam sit pecunia principium & finis ( quia pecuniam dat & pectiniam recipit ) si de hoc accipiatur emolumentum, nihil erit aliud, quam emolumentum accipere de usu pecuniæ, quod sine usura esse non potest: *Philosophus tamen in primo politicorum* non solum usuram, quam vocat call'os, id est, denariorum generativam, sed etiam campforiam, & obolostaticam, dicunt illicitas esse. Potest autem vocari obolostatica illa, quæ pecuniam ponderat, & denarios majoris ponderis ab alijs separat: videtur enim ibi velle *Philosophus*, quod ars illa, ubi elementum est finis, & ubi principium & finis est pecunia, non sit licita: videtur enim, quod omnis talis ars intendat habere pecuniam in infinitum, cum à pecunia incipiat, & in pecuniam terminetur, & totaliter in pecunia consistat: nunquam autem organa sunt appetenda in infinitum; unde nunquam vult sutor habere infinitas acus, nec faber infinitos martellos, denarij itaque, qui sunt organa ad vitam nostram sustentandam, non sunt appetendi in infinitum: propter quod *Philosophus* ibi artem infinitatem cupiditatis pecuniæ prætententem vilipendit & vituperat.

Sed non est simile de compforia, & obolostatica respectu usuræ: nam in campforia non accipitur pensio de usu pecuniæ, sed pecunia in pecuniam transmutatur: in obolostatica non accipitur pensio de usu pecuniæ: sed pecunia majoris ponderis à pecunia alia subtrahitur.

SED IN emendo redditus ad vitam, solum propter tempus, plus accipitur de pecunia, quam datum est, unde ex usu pecunie accipietur emolumentum, quod sine specie usuræ esse non potest.

*& eam  
poterit bene-  
fieri?* HIS ITAQVE prælibatis, volu-  
mus declarare quod tertio dicebatur  
declarandum: videlicet, quomodo  
emptio redditum ad vitam posset  
benè fieri? Nam *Raimundus in secunda  
parte somme in cap. de usuris*, Movens  
quæstionem de fructu inotendini vel  
alicujus castrorum, utrum posset hoc licite  
fieri? Dicit quod possit, nisi fiat  
talis venditio in fraudem usurarum.  
*Vbi glossator in apparatu*, hanc quæ-  
stionem diligentius investigat, volens,  
quod possunt emi tales redditus ad  
vitam venditoris, non vitam empto-  
ris: cuius rationem assignat, quia si  
emantur ad vitam emptoris, tunc  
venditor desiderabit mortem ejus,  
vel machinabitur ad mortem ejus, ut  
non diu gaudeat de talibus redditibus.  
Sed si emantur ad vitam venditoris,  
hoc, ut ait, est licitum: quia nullus  
ex hoc desiderabit mortem alterius.

Sed si hujusmodi ratio bona esset  
nunquam Papa daret primam præben-  
dam vacantem, sive secundam; ne sic  
præbendatus desideraret mortem ali-  
cujus Canonici, ut posset fructum  
præbendæ recipere. Quæ enim per se  
sunt, sunt in rebus consideranda: non  
autem quæ sunt per accidens. Si ergo  
licet emere redditus ad vitam vendi-  
toris, non erit per se contractus illici-  
tus si emantur ad vitam emptoris; licet  
ex tali contractu posset per accidens  
aliquid malum contingere: imo qua-  
si omniibus bonis possumus male  
uti: propter quod in *primo rhetoricon*  
dicitur, quod non sit mala rhetorica,  
licet rhetor sciat pervertere judicem,  
& ex hoc possit multa mala facere:  
nec sit malum habere ingenium natu-  
rale; licet ingeniosi & astuti, si mali  
sint, plura mala faciant, quam rudes  
& grossi. Exceptis enim virtutibus,  
quibus, secundum *Augustini senten-  
tiam*, non convenit formaliter male  
uti, alijs bonis creatis, convenit male  
uti. Ex ipso ergo bono contractu, ex  
cupiditate scilicet & malitia, potest  
aliquis sumere malitiam male cupien-  
di vel aliquid male machinandi: sed  
hoc est per accidens. Per se ergo lo-  
quendo non videmus causam quin  
hoc modo possint emi redditus ad  
vitam: ut quod emantur fructus ali-

cujus molarij, vel castrorum, vel terræ  
vel alicujus alterius rei: & postea  
ille fructus sic emptus detur ad sum-  
mam pro certo denariorum numero  
annuatim; ita quod talis emptio non  
sit solum in denarijs, ita quod dena-  
rius sit ibi finis & principium, & etiam  
medium: sed etiam sit in ipsis rebus  
ut quod ex denarijs ematur res aliqua  
vel fructus rei ad vitam, & ex hoc  
redditus habeantur.

VTRVMQVE ERGO argumen-  
tum solvi potest: nam, cum dicitur,  
quod non licet pro decem habere  
duodecim in quantocumque spatio  
temporis, patet quod ex pensione  
denariorum, sive ex solo usu pecu-  
niæ non licet ex decem habere duo-  
decim in quantocumque spatio tem-  
poris. sed pro pecunia emendo res  
vel fructus rerum, in magno spatio  
temporis, non solum ex decem pos-  
set licet quis habere duodecim, sed  
etiam centum, & plus.

Quod vero obiecitur in partem  
aliam quod Beginæ hoc faciunt de  
consilio religiosarum personarum, dici  
debet, quod si solum pro pecunia ac-  
cipiatur pecunia, non potest licet fieri:  
nec religiosæ personæ darent tale  
confilium: & si darent non benefa-  
cerent: alio tamen modo hoc fieri  
potest, ut est per habita manifestum.

## Q V A E S T I O II.

### Q V O D L I B E T I XXV.

*Vtrum ad presentiam occisoris plaga oc-  
cisi effundant sanguinem?*

Questio hec relata est in tertium sent. ubi videnda  
cum auditoribus & particulariter de sympathijs & an-  
tipathijs.

*Aegidius verò hic eam tractat, ordine  
allegato initio textus.*

ECVND O Quæreba-  
tur de occiso per vio-  
lentiam; utrum ad præ-  
sentiam occidentis pla-  
ge emanent sanguinem?  
Et arguebatur, quod  
non: quia, ut dicebatur, cum ille sit  
mortuus

mortus, non est ibi anima. Propter quod non videtur, quod sit dare causā, quare fiat talis effluxus sanguinis?

IN CONTRARIVM est, ut dicebatur; qua expertum est sic esse allegabatur etiam publica fama.

## R E S O L V T I O.

*Varijs de causis contingit, praesente occidente vulnera occisi effundere sanguinem; providentia Dei, fallacia dæmonum, & causa.*

quid, & quo modo trahendamus? **R**ESPONDEO, Dicendū, quod hoc modo procedemus in hac questione: quia primo distinguemus de mortuo. Secundo assignabimus dicta & rationes aliorum, quare possit hoc contingere, & improbabimus ea. Tertio assignabimus rationes nostras; quare possit aliquando contingere, quod hoc fiat?

primo, quod aliquis virus possit patari mortuus? P R O P T E R primum sciendum, quod distinguendum sit de mortuo. Nam aliquando aliquis est mortuus secundum apparentiam; ut quia non sentitur in eo pulsus vel motus, propter nimiam debilitatem, vel propter aliquam aliam caussam: aliquando vero aliquis est mortuus secundum rei veritatem; ut quia anima est à corpore separata, & non est ulterius ejus forma. Si autem sit primo modo aliquis mortuus, de levi potest patere caussa, quare plagæ fluant ad præsentiam occisoris? Potest enim contingere, quod propter vulnera, & propter nimium effluxum sanguinis aliquis sit ita debilitatus, & infrigidatus, ut non appareat in eo esse sensus aliquis, neque motus; non tamen propter hoc est adhuc mortus: unde potest contingere quod sic se habens aliquam turbulentam notitiam habeat de advenientibus ad ipsum: licet non possit vocem emittere, vel etiam se movere. Quare si vulnerato se habente in tali statu, contingat vulnerantem venire ad ipsum, poterit habere vulneratus aliquam turbulentam cognitionem de ipso; ex qua cognitione, ratione timoris, poterit aliquis tumor fieri in membris, unde excitari poterit fluxus

sanguinis. Et quia in talibus, ex aliis ratiōnibus raro factis, ratione admiratio-nis potest publica fama consurgere; ideo ex hoc homine non penitus mortuo potuit hoc esse famosum.

POST QVAM distinximus de mortuo volumus assignare caussas & ratio-nes aliquorum, quomodo in homine penitus mortuo ex adventu occiden-tis possint plagæ sanguinem fundere. Dicunt enim aliqui, quod ex sanguine remanente in cultello, vel in vesti-bus occidentis ( quia à simili fit attrac-tio ) possit contingere, quod adveni-ente occisore fiat attractio sanguinis existentis in corpore occisi. Sed hoc sta-re non potest: quia si fit attractio à simili, hoc est, quia imperfectum trahi-tur ad perf. & ut si à magnete trahitur ferrum, hoc est, quia aliqua virtus est completem in magnete, & incompleta in ferro, unde fiat talis attractio. Vnde & quidam talem tractum à tota specie vocant, se-cundum quod distinguit *Avicenna* triplicem tractum; videlicet, à calido, qui fit à natura elementari: à vacuo, qui videretur fieri à cælesti natura: & à tota specie, quæ videtur reduci ad naturam mixti. Formaliter enim calida sunt solum elementa & elementata, ut participant naturam elementorum: & quia mixta possunt aliquam virtu-tem habere ultra qualitates, quas vide-mos in elementis; quando illam vir-tutem nominare nescimus, dicimus hoc esse à tota specie.

Vtrum autem semper attractio à calido fiat per naturam elementarem? & à vacuo per naturam cælestem? & à tota specie, per virtutem aliquam se-quentem formam mixti; ut propter aliquam excellentiam, quam habet su-pra naturam elementorum? Non est præsentis speculationis: sufficiat autem ad præsens scire, quod nūquam agens & patiens sunt omnino similia: nam quādō sunt omnino similia, tuic cessat motus. Vnde scribitur *in primo de gene-ratione, habitibus præsentibus in materia cessat motus. Et in eodem lib. in principio sunt dissimilia: & in fine similia.* In fine ergo actionis & passionis, quod non ulterius est actio & passio, potest esse patiens omnino simile agenti. Quare si simile ad

ad se attrahat simile non erit omnino simile: cum unum se habebit ut actus, aliud ut potentia: unum, secundum quod hujusmodi, ut imperfectum, aliud ut perfectum. Et quia perfecta ratio sanguinis magis reservabitur in eo, qui est in corpore, quam in illo, qui est in cultello, vel in vestibus, per talam attractionem, sanguis qui est in corpore, non procedet ad exteriora sed magis sanguis, qui est in cultello, vel in vestibus, redibit ad corpus. Totum autem hoc dictum est fantasticum & stolidum, quia esset ex hoc impossibilia considerare. Nam hoc modo, nisi aliud sit in cauſa, nec sanguis, qui est in corpore, ibit ad sanguinem, qui est in cultello: nec è converso. Si enim abſcindatur pars carnis à carne, propter præsentiam carnis abſcissæ nulla immutatio fit in corpore, unde est abſcissa: nec etiam ipſa pars abſcissi movebitur ad locum, unde est abſcissa: ſicut ſi ex arbore incidentur rami, & deportentur ad longinquum locum; ſi poſtea reportentur ad arborem, nulla fit naturaliter ex hoc immutatio in ramis, vel in arbore: talis enim actio & paſſio non exprimitur per ſenſum: & in rebus naturalibus deſpicere ſenſum eſt maximæ dementiæ.

DIXERVNT AVTEM alij, quod hoc fiat ex spiritibus existentibus, vel remanentibus in corpore occisoris: nam cum aliquis occiditur ab aliquo, cum quodam rancore & torvis oculis occifus respicit occidentem, & è converso: propter quod aliqui vapores, vel aliqui spiritus exeunt ab occiso in occiforem, & è converso. Dicunt autem iſti, quod quando ſupervenit occifor, quia naturale eſt, quod pars redeat ad ſuum totum, aliqui vapores & spiritus ex corpore occisi ad occiforis redeunt, cujus prius fuerant, & è converso: & quia ex reditu talium vaporum fit quædam commotio in corpore occisi, conſequens eſt, quod inde emanet sanguis.

Sed cum iſti intendant in hoc rationem reddere naturalem: quia nihil tale videmus in naturalibus, imo magis videmus oppositum, quam propofitum; cernimus equidem quod ſempre fiat aliqua resolutio à corporibus

naturalibus & maximè à corporibus viventium: unde & ideo indigent viventia alimento & restauratione; id tamen, quod refolvitur non redit ad corpus unde eſt refolutum: imo aliunde oportet procurare restaurationem.

Valet autem iſtud contra primum dictum, quia sanguis effusus non redit ad sanguinem, qui eſt in corpore, ſicut pars ad totum: & multo minùs sanguis, qui eſt in corpore, naturaliter non tendit ad sanguinem fusum; quia non eſt de natura totius, quod tendat, ubi eſt ſua pars: nec etiam eſt de ratione partis, quod vadat ad totum, niſi quatenus eſt totum in loco proprio, & pars eſt extra locum.

HIS ITAQVE prælibatis, volumus <sup>3. ratio au-</sup>  
<sup>ſtaris tri-</sup>  
reddere rationes & cauſas, quomodo <sup>plex.</sup>  
hoc poſſit contingere? Dicemus enim triplici de cauſa hoc poſſe eſſe; vi-  
delicet providentia Dei, ex falla-  
cia dæmonum, & ex contingentia ca-  
ſuali. Ex providentia Dei, ut quia in pluribus corporibus occiforum ſic factum eſt, quod providâ dispensatione Dei eſt, quod ex præſentia occi-  
foris plague emanaverint sanguinem; ut crimen non remaneret impunitum ſed puniretur occifor.

Secundo hoc poſteſt eſſe ex fallacia dæmonum; dæmones enim, ut decipiant homines, & ut inducant eos ad credendum aliquid falſum; utputa quod animæ occiforum tamdiu custodiāt ſua corpora, donec de occiforibus fit facta vindicta, ſecundum quod dicta aliquorum poëtarum videntur ſapere; ideo forte procurant ad præſentiam occiforis, aliquam motionem fieri in corpore, unde cauſetur emanatio sanguinis, ut credatur, quod ani-  
ma occifi ibi existens in malum occiforis hoc faciat. Ut ergo dæmones, modo, quo dictum eſt, vel etiam alio, decipiant homines, poſſunt talam emanationem sanguinis procura-  
re.

Tertio hoc poſteſt contingere ex contingentia caſuali; ut ſicuti ambu-  
lante coruſcavit, ita quæd ambulatio tua in nullo fuerit cauſa coruſcationis,  
ita caſualiter poſteſt contingere, quod præſente occifore fiat emanatio san-  
guinis.

guinis in corpore occisi : quamvis præsentia hujusmodi emanationis illius nullatenus sit causa.

ARGUMENTVM autem utrumque solvi potest. Nam cum dicitur, quod non sit ibi anima in corpore occiso, dici potest, quod & anima potest ibi esse : utputa si non sit ille homo penitus mortuus. Vel potest aliter responderi, quod propter causas prædictas fiat emanatio sanguinis absque præsentia animæ.

AD ARGUMENTVM autem aliud de famosa opinione vulgi, vel de experientia, dici potest, quod ut in solutione principali tangebatur, propter mirabilitatem hujusmodi negotij, si semel hoc contingat, tantus erit rumor in populo, quod ex hoc aggerneretur vulgaris opinio, ut crederetur, semper sic esse.


## QVÆSTIO III.

### QVODLIBETI XXVI.

*Vtrum religiosus resuscitatus teneatur ad religionem redire?*

Videndi Auctores secundâ secundâ de obligatione religionis.

Ægidius verò hic expendit aliorum rationem, quâ, ex conformatione potentiae rationalis cum Deo per votum obedientiae, conantur probare, religiosum resuscitatum obligari ad redeundum in religionem; & ea refutatâ, juxta opinionem suam resolvit, ut infra.



ERTIO Quærebatur de religioso resuscitato ad hanc mortalem vitam per divinam potentiam. Vtrum teneatur ad religionem redire?

ET ARGVEBATVR quod sic: quia iste promisit vivere sine proprio: si ergo rediens ad vitam non intret religionem, viveret cum proprio, & faceret contra votum suum.

IN CONTRARIVM sic: quia se-

cundum Apostolum i. ad cor. 7. mulier alligata est viro, quanto tempore vir ejus vivit quod si dormierit vir eius, id est, mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Sic & in proposito; quamdiu vivit religiosus tenetur ad obedientiam: propter quod, resuscitatus non tenetur ulterius religionem intrare.

### R E S O L V T I O.

*Religious resuscitatus non quidem ex obligatione religionis; sed titulo gratitudinis tenetur regredi ad religionem.*

**R**ESPONDEO, Dicendū, quod, secundum quosdam, religiosus per religionis votum perfectus & ratione conformet se Deo, quantum ad omnes vires animæ: ut, quantum ad partem rationalem & intellectivam per obedientię promptitudinem, quantum ad irascibilem, per paupertatis humilitatem: quantum ad concupisibilis, per puritatem castitatis. Dicunt autem isti, quod obligatio principaliter fiat ex parte rationalis per obedientiam: ex parte autem aliarum virium ad paupertatem & castitatem: quæ respiciunt vires sensitivas, fiat obligatio mediante obedientia.

Igitur quia obedientia, quæ respicit ipsam rationalem secundum se, & quantumcumque homo moriatur & destruantur vires sensitivæ adhuc remanet vis rationalis: propter quod remanet illud, quod est principale in tali voto: semper ergo remanet ibi obligatio, per quam, resurgens religiosus, adhuc erit obligatus per obedientiam Prælato suo. Et quia in obligatione obedientiæ includuntur aliæ duæ obligationes; etsi non plus promitteret religiosus, nisi obedientiam; cum in regula & in constitutib; præcipiatur castitas & paupertas, oportet eum castum & pauperem esse: ideo tenetur, secundum istos, religiosus resurgens suam religionem intrare. De matrimonio autem, secundum istos, non sic est, quia mulier non habet potestatem in corpus viri, nec è converso, ratione animæ, nisi quatenus anima dependet à corpore:

corpo, tollitur omnis talis potestas, ita ut mortuo viro soluta sit omnino mulier à lege vini: ut etiam si contingeret virum suum resurgete, non teneretur viro suo copulari.

Sed hoc dictum non est sufficiens, & repugnat formæ promissionis factæ in religione: nam religiosus promitteret esse in obedientia prælati usque ad mortem, ita quod in sua promissione specificet terminum mortis. Moriente ergo religioso, quantumcumque remaneat in anima separata, virtus intellectiva sive rationalis, ubi dicitur fundari obligatio obedientiæ, soluta est hujusmodi obligatio. Sicut si aliquis promitteret equum alteri per triduum, tempore illo elapsi, quantumcumque adhuc existeret equus, ubi fundabatur talis obligatio, non ulterius teneretur dare ei equum.

Rursus deficit hæc ratio: nam obligatio matrimonij fundatur in anima: quia solus consensus animorum facit matrimonium, ut jura decernunt.

Quod si dicatur hujusmodi consensus in actum exire non posse, nisi per comparationem ad corpus: dicimus, quod & obligatio obedientiæ, quantumcumque fundetur in potentia rationali, non sit apta nata exire in actum, nisi per comparationem ad corpus: nam hoc modo iste religiosus est subditus, & teneretur obedire: & ille est prælatus, & potest præcipere, prout habent conversationē ad invicem, & mandatum unius pervenit ad alium, & obedientia alterius sub alio esse cognoscitur. Sed postquam solvitur talis conversatio solvitur etiam obligatio obedientiæ.

3. respondetur directe ad questionem sub distinctione. HIS VISIS, dicamus, quod per se & directè mortuus religiosus solitus sit ab obedientia prælati, qui sub tali forma promissionem fecit: sicut & mortuo viro soluta est uxor à lege viri, & vir à lege ejus, ut si resuscitaretur non teneretur uxorem habere.

Sed licet ita sit, si considerentur solum ea, quæ per se concurrunt ad obligationem; attamen secus est de religioso resurgente, & de viro resuscitato; propter quod hic & ibi alia ratio reformat pactum: nam resusci-

tatio non potest fieri nisi per divinam virtutem: iste ergo, qui resuscitatur per divinam potentiam, ingratus esset Deo, si non serviret ei in ita perfecto statu, sicut & ante. Quare si prius fuisse religiosus, & resuscitatus velleret esse in saeculo, esset ingratus Deo: quia veller ei servire in minoribus bonis. Sed non sic est de matrimonio: nam qui nubit bene facit, & qui non nubit melius facit; est enim matrimonium bonum: sed virginitas est melior. Vir ergo resuscitatus si non vadat ad uxorem, sed contineat, non est ingratus Deo, nec servit ei in minori statu, sed in majori.

Religious ergo resuscitatus, si consideretur solus contractus obligationis, solitus est à religione. Sed, ne sit ingratus Deo, tenetur religionem intrare; sed non oportet, quod intret illam religionem, in qua fuit: potest enim ad arctiora vota transire; non solum licentia non obtentia: sed nec etiam petitia: quia in nullo est obligatus prælato priori, nisi quatenus est obligatus Deo.

Vir ergo resuscitatus cui vult potest nubere in domino: & etiam potest non nubere: quia non nubere est melius quam nubere: sed religious resuscitatus potest, quam vult, æquè arctam, vel arctiorem religionem intrare: sed non debet in saeculo remainere ne sit ingratus Deo: nam ex gratia sibi facta non debet esse pejor, vel minus bonus quam ante: sed potius melior.

QVOD VERO obiectebatur de matrimonio *solutum est per jam dicta.*

## DISPUTATIO

### SEXTA.

*De Creatura Rationali quantum ad vitam futuram.*

**P**OSTEAE Quærebatur de creatura rationali, sive de homine, quantum ad vitam futuram. Et circa hoc siebat dupliciter quæstio: una de corpore; utputa, si aliquis sit nutritus ex carnibus huma-

*Nis in quo resurgent hujusmodi carnes? Alia autem quæstio fiebat de anima; utrum anima separata intelligat particularia?*

## QVÆSTIO I.

## QVODLIBETI XXVII.

*Vtrum, si aliquis sit nutritus ex carnibus hominis, resurgent hujusmodi carnes in comedisi, an in comedientibus?*

*Relata est haec quæstio in 3. sent: ubi videri potest.*

*Ægidius verò hic eam tractat juxta ordinem initio textus positum.*



D PRIMVM autem sic procedebatur: arguebatur enim, quod nutritio aliquo ex carnibus humanis, hujusmodi carnes non resurgent in comedente: quia tunc, ut dicebatur, non resurget comedens.

IN CONTRARIVM autem arguebatur, quod non resurgent hujusmodi carnes in homine comedendo: quia tunc, ut dicebatur, non resurgeret comedens.

## R E S O L V T I O.

*Hominis comedisi carnes, facientes ad integratem naturæ eius, restituentur ei à comedente; cui si deerunt aliqua carnes ad integratorem propriæ naturæ, supplebuntur per diuinam potentiam.*

R ESPONDEO, dicendum, quod hoc modo procedemus in hac quæstione: quia primo ostendemus, quid resurget in resurgentibus? Secundo declarabimus, in quo resurgent carnes comedæ? Vtrum in comedente, vel in comedendo? Tertio, cum non possint tales carnes resurgere in utroque: ostendemus, quomodo poterunt hoc modo resurgere?

PROPTER PRIMVM sciendum,

quod, secundum Aug. 22: de ci. Dei cap. 12 (ubi inquirit de capillis & de unguibus: utrum redeat cotum quod tonsum est? Et responderet, quod horrenda esset tali deformitas: unde ait quod illud redibit de unguis & capillis, ubi decolorerit, & quod corporis natura requirit) Illud resurget in resurgentibus quod requireret natura corporum, & quod faciet ad eorum decorum. Hoc ergo modo capillus de capite non peribit, secundum quod requirit natura & decor corporis. Sic etiam de macie & pingue ne concedendum est: ut quia nunc aliquis est pinguis, & postea efficitur macilentus, & iterum ad pinguedinem reddit; Si tota talis pinguedo rediret in resurrectione: non esset formosum corpus. Si ergo aliquid sit in corpore, quod pertineat ad naturam, vel decorum corporis, non resurget in corpore. Quare si quis nutritus sit ex carnibus humanis, quantum ad illud, quod non resurrexisset in corpore comedendo, si pertineat ad naturam, vel ad decorum corporis comedentis resurget in hujusmodi corpore: si autem nec ad naturam nec ad decorum, corporis comedisi vel comedentis tale quid pertineat, non oportebit quod in aliquo corum resurgat.

VISO, QVID resurget in resurgentium corporibus, & maximè in beatissimis? illud scilicet, quod pertinebit ad naturam, vel ad decorum eorum. Et ex hoc declarato; quod, si carnes illæ comedæ fuerint de veritate naturæ unius, & non alterius, resurgent in illo, de cuius veritate naturæ fuerunt: Si vero in neutro fuerint de veritate naturæ humanae, in neutro resurgent.

Volumus nunc declarare, dato quod in utroque fuissent de veritate humanæ naturæ, in quo tandem resurgent? Quam quæstionem determinat Aug. 22. de ci. Dei cap. 20. Dicens quod reddetur caro illa homini illi, in quo tunc caro humana incepit: & subdit, quod ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta deputanda sit, quæ, sicut alienum, ei reddenda est, unde sumpta est: igitur si in utroque fuit caro humana, id est si in utroque fuit de veritate humanæ naturæ, non redi-

redibit ad comedentem sive ad expos-  
liantem : sed comedestum vel ad expos-  
liatum ; ut ille , scilicet comedens,  
sanguinem alienum reddat ei à quo ac-  
cepit.

HIS ITAQVE prælibatis , restat  
solvere difficultatem tertiam ; videlicet , quod si hujusmodi caro fuit de ve-  
ritate humanæ naturæ in utroque &  
non resurget in utroque , quomodo re-  
surget uterque ? Quam difficultatem  
solvit idem Aug. codem lib. 2. cap dicens  
quod si omnibus modis perijisset ali-  
qua materies : & in nullis naturæ  
latebris remansisset ; unde vellet repa-  
raret eam omnipotens . Resurget ergo  
in comedente , non caro illa , quæ fuit  
de veritate humanæ naturæ in comesto .  
sed aliunde , unde volet omnipotens ,  
carnem hujusmodi reparabit .

AD ARGVMENTVM autem in  
contrarium dicendum , quod datō ,  
quod fuerint de veritate humanæ na-  
turæ in utroque : & dato quod hu-  
jusmodi carnes non resurgant nisi in  
comesto tantum : non propter hoc  
sequetur quod non resurget uterque :  
quia unde volet Deus omnipotens de-  
fectum ejus reparabit . Posset enim  
Deus hanc rem in hanc rem converte-  
re ; & quod omnino annihilatum est ,  
restaurare: propter quod nulla remanet  
qæstio , quomodo possit talem supple-  
re defectum ?

## QVÆSTIO II.

### QVOD LIBETI XXVII.

*Vtrum anima separata Intelligat  
particularia .*

Huc faciunt ea , quæ habet Egidius quodl . 1 qu . 17.  
& quodl . 2. q. 23. cum auctoribus 16. citatis. expreſſe  
eam tractant. conimbricensi . l. 3. de an. c. 5. q. 4.

*Egidius verò hic eam examinat eo or-  
dine , qui habetur initio textūs .*

**S**ECUNDO & ultimo quære-  
batur ; Vtrum anima separata  
intelligat particularia ?

Et arguebatur , quod sic , quia , ut  
dicebatur , sicut ab ideis in mente

divina fluunt species in mentes An-  
gelorum , ita ab illis eisdem ideis  
fluunt species in animas separatas sed  
Angelus per tales species cognoscit  
particularia , ergo & anima .

IN CONTRARIUM , est quia , ut  
dicebatur , ad cognitionem particula-  
rium per species requiritur connat-  
uralitas specierum : sed species non  
sunt connaturales animæ ergo &c.

### R E S O L V T I O.

*Animæ separatae cognoscunt particula-  
ria , eo modo , quo Angeli per species fluen-  
tes ab ideis divinis ; et si differenter .*

**R**ESPONDEO dicendum , quod  
hoc ordine procedemus in hac  
qæstione : quia primo decla-  
rabimus , quod anima cognoscat parti-  
cularia . Secundo ostendemus , quali-  
ter cognoscat ea ? Tertiò manifesta-  
bimus , quomodo verificantur dicta  
sanctorum dicentium , quod nesciant  
mortui quid in hac vita agant vivi ?

Propter primum sciendum , quod  
anima separata particularia cognoscat : <sup>1. quod</sup>  
<sup>anima co-</sup>  
quia *dives ille* in tormentis positus <sup>cognoscat</sup>  
*abraham & lazarus* recognovit , & quin . partic.  
que fratres se habere recordatus est:  
quod sine cognitione particularium  
esse non posset : cum ergo in inferno  
esset anima divitis separata à corpore ,  
cogimur ponere , quod anima separa-  
ta possit cognoscere has particulares  
animas separatas: ut cognovit ille *dives*  
*lazarum & abraham* , erant qui in limbo  
solum secundum animam . Cognovit  
etiam non solum spiritualia separatae  
sed etiam corporalia , & conjuncta ;  
quia recordatus est se quinque fratres  
habere .

OSTENSO , quod oporteat nos po-  
nere animas separatas habere aliquam  
cognitionem de particularibus ; Restat  
ostendere , qualiter hujusmodi cognitio-  
nen habent . Propter quod dicendum ,  
quosdam dixisse animas separatas de  
particularibus non habere cognitionem <sup>2. quomodo</sup>  
distinctam : sed consuētū simpliciter &  
absolutē loquendo . Si autem de ali-  
quis particularibus habeant cogni-  
tionem distinctam , hoc est , ut dicunt ,

fententia per aliquam determinationem : ut quorundam quia aliquo modo determinatur ad ponentium quadrupliciter talem notitiam. Quod quadrupliciter esse potest, quia vel hoc erit per aliquam affectionem : sicut aliquis determinatur ad amicos, quia afficitur ad eos : vel per aliquam præcedentem cognitionem: sicut quis determinatur ad notos : vel per aliquam naturalem habitudinem , sicut quis determinatur ad cognatos : vel per divinam ordinationem, sicut divinitus ordinatum est, quod substantiae spirituales illuminent, & doceant inferiores & ita per revelationem Angelorum poterunt animæ separatae de particularibus habere distinctam notitiam.

**afficitur.** Sed omnia ista non videntur sufficere: nam affectio est aliquid consequens notitiam; posset ergo quis per affectionem aliquam esse diligentior ad inquirendum de re, ad quam afficitur: sed quod ipsa affectio ad rem sit ita causa, ut habeatur de re distincta notitia, ita quod sine hujusmodi affectione præcedente non possit de re distincta notitia haberi, est inconveniens.

Rursus, quod procedens cognitione in via determinet animam separatam ad habendam distinctam notitiam de particularibus, videtur incongruum: nam si remaneat scientia in via acquisita fit per abstractionem à particularibus: propter quod per tales scientiam non cognoscuntur particularia, nisi per conversionem ad fantasmata. Cum ergo in anima separata non remaneant fantasmata, scientia illa non videtur esse potens ad causandum cognitionem de particularibus: vel si anima separata per scientiam acquisitam in via possit habere cognitionem de particularibus; multò magis hoc poterit per species influxas ab ideis divinis: nam id quod est acquisitum per abstractionem, magis repræsentat rem secundum quidditatem & formam & secundum esse universale: sed quia ideæ divinæ sunt productivæ totius rei, species determinatae ab his ideis sunt aptæ natæ repræsentare res secundum se totas & secundum esse, quod habent in natura: & per con-

sequens, sunt aptæ natæ repræsentare res secundum esse particulare: quare si per scientiam acquisitam in via posset anima separata cognoscere particularia, magis dicemus, quod scientia illa sit fortior & efficacior & determinetur ad cognitionem particularium per scientiam habitam per species derivatas ab ideis divinis, quam è converso.

Naturalis etiam habitudo, quæ posset esse ad fratres & cognatos, quasi ista determinet cognitionem animæ separatae ad particularia, ut sine ea non posset esse talis cognitio, est omnino inconveniens: nam minus scimus de hac habitudine naturali, quam de alijs rebus: nam pueri in principio omnes viros appellant patres & omnes fæminas matres: postea instruti per auditum ab alijs determinatè cognoscunt patrem & matrem, ex quibus dependet omnis consanguinitas: nam ideo aliqui sunt fratres vel cognati in quantum descenderunt ab eisdem parentibus vel ab eodem stipite: plus ergo sumus incerti de parentibus: quam de multis alijs rebus. *Nam multa possumus oculata fide videre, & palpando cognoscere: sed qui fuerint parentes nostri, at Aug. ait, non nisi per auditum scimus.* Quod autem id, quod in se est magis ignotum, quam multa alia, faciat ad perfectam & distinctam notitiam videtur omnino in congruum.

**QVOAD HOC** autem addebatur. & quartò de divina ordinatione, quod possit referri ad revelationem factam per Angelos, quæremus à sic dicentibus, quomodo anima separatae se habeant ad distinctam cognitionem particularium, quam habent per Angelos: utrum sicut cæci ad colores, vel sicut videntes? Et si sicut cæci; utrum sicut cæci à nativitate, vel sicut cæci post nativitatem?

Si autem se habent sicut habent videntes, certum est quod de multis rebus coloratis possit hoc videns instrui ab alio vidente: sed tamen si hoc videbis vellet esse sollicitus ad talia videndum, ipsemet per seipsum posset talia videre, si essent sibi oblata: quare si animæ hoc modo docentur ab Angelis de particularibus, & potissimum quia

quia eorum notitiam non impedit localis distantia, ipsæ per seipfas poterunt talium cognitionem distinctam habere.

Sed si se habeant animæ separatae ad hujusmodi cognitionem sicut cæci à nativitate se habent ad colores, non poterunt de talibus instrui; sicut nec hujusmodi cæci de coloribus.

Non autem dici posset quod se habeant sicut cæci post nativitatē habentes quandam memoriam de coloribus, per quam memoriam in multis possunt de coloribus instrui, licet non possint hujusmodi colores per seiplos videre: nam hoc ideo est, quia est potentia distincta à virtute visiva. Ideo quamvis cæci sint privati virtute visiva, non tamen memoria. Sed si eadem potentia esset memoria, apprehensiva, vel cognitiva, non possemus de aliquibus intrui ab alijs per memoriam, quam habemus de eis, quæ non possemus per nos ipsos cognoscere; & potissimè loquendo de cognitione particularium. Cùm ergo in anima separata non sit potentia cognitiva: nisi intellectus tantum, & cum ibi idem sit memoria & intelligentia, secundum hunc naturæ cursum, quem videmus, quicquid sit de cognitione futurorum, quæ nondum sunt, vel de cognitione præteriorum: tamen quantum ad cognitionem particularium præsentium, quæ possunt revelari ab Angelis, non videtur esse ratio, quare non possint scire animæ per seipfas, & maximè quantum ad cognitionem, de qua loquimur; ut quod non possint scire animæ separatae, utrum hoc individuum particulare humanum sedeat vel jaceat? ex quo localis distantia earum cognitionem non impedit.

Si enim bene advertimus hic duo dicta; videlicet, quod scientia acquisita per abstractionem unus determinat ad cognitionem particularium, alius scientia per species derivatas ab ideis divinis: & quod in animabus separatis idem sit memoria & intelligentia, apparet non sufficere quæ dicta sunt: videlicet quod animæ separatae non possint per se distincte cognoscere particula ria nisi determinantur per aliqua quatuor dictorum modorum.

Sciendum ergo, quod loquendum fit de cognitione animarum separatae & ponitur vera ten- rum, quantum ad species eis divini tentia. tūs impressas, sicut loquimur de cognitione Angelorum: differenter tamen, prout animæ humanæ non ita pollent intellectuali lumine, sicut Angeli: & quia Angeli cognitione confusa procedunt ad distinctam, ita & animæ separatae, & tanto plus animæ quanto debilius habent lumen. Nam ex debilitate luminis est, quod non uno intuitu omnia cernantur. Diximus enim in nostris questionibus de cognitionibus Angelorum; quod Angelus prima con- quæ cogni- verione cognoscat se; & omnes spe- tionem an- ma- um, cies quas habet in se & cognoscat sub ex dicat quodam confuso modo quæ represen- per ordi- tantur per hanc speciem: & per illa quæ habet postea convertat se specialiter super Angelis de hanc speciem; utputa, per speciem animalis cognoscat distincte, quæ re- presentantur per illam speciem, ut reser- vatur in eis natura animalis, vel ut coatinetur sub animali: sed si ulterius se convertat super speciem illam, ut est representativa hujusmodi speciei, utputa hominis, cognoscet particula ria hominis: non tamen propter hoc sciet quæ conveniunt illis particularibus, ut particularia sunt: sed quando se convertit super speciem illam, ut est representativa hujusmodi particularis individui, tunc cognoscet quæ com petunt huic individuo, ut individuum est.

Simile autem videmus in visu, ut per simili si feratur visus noster super totam eudinem paginam alicujus libri, videlicet in quod habentum fuit in illa pagina plures columnæ, & visum multæ lineæ: sed hoc erit in quadam confusione; quia nihil sciemus legere sic videndo: Sed quando determinat fertur visus noster super hanc lineam & super hanc partem lineæ, tunc distictè videmus litteras, ut sciamus ipsas legere.

Sic & substantiæ separatae secundum quod magis determinat per intellectum feruntur in aliquid, tanto magis distincte cognoscunt illud: quia tamen lumen intelligi p' Angelorum non est ita efficax, sicut lumen divinum non possunt Angeli una conversione & intuitu omnia distincte cognoscere:

Sed quæ prius cognoverunt confusè, postea determinate, se convertendo super illa, possunt etiam cognoscere distinctè: quod tanto magis convenit animæ procedenti à cognitione confusa ad distinctam, quanto magis deficit in lumine: nam Angelus convertendo se super hoc individuum, forte uno intuitu cognoscet omnia pertinētia ad illud individuum, loquendo de his, quæ potest Angelus cognoscere cognitione naturali: sed anima propter debilitatem luminis forte per multas conversiones tantum potest illud cognoscere.

Sicut habentem valde curtum visum, ut distinctè videat quæ sunt in domo, oportet quod ponat oculum suum super quilibet rem existentem in domo: aliquis enim potest videre multa simul, & una conversione: qui vero habent curtum visum vident multis ea conversionibus. Propter quod etiam habens visum curtum de advenientibus hominibus ad ipsum, quia non videt eos nisi ponat oculum super ipsos, ideo docetur per alias: sed si ipse vellet esse diligens, posset per multas conversiones, convertendo se super istum & super illum, & ponendo oculum suum super hunc, & super illum, cognosceret hunc & illum.

Sic dicemus etiam de anima, quod, quia valde deficit in lumine intellectuali, non nisi per multas conversiones determinatè ferendo intellectū suum, non ad omnia, quæ competit huic individuo; sed determinate ad hoc vel ad illud, possit distinctam cognitionem habere. Nec hoc sit casu: quia per cognitionem confusam potest se dirigere in cognitionem distinctam.

AD HOC autem possunt valere superiorius dicta, quod affectio, vel præcedens notitia, vel naturalis habitudo non simpliciter faciat ad distinctam cognitionem particularium in anima separata: sed facit modo, quo dictum est: quia cum non possit habere talem cognitionem nisi per multas conversiones, poterit ex his quādam diligentiam habere ut velit se sic convertere: nam ad cognoscendum id, ad quod afficiuntur, sumus dili-

gentiores, quam ad cognoscendum aliud.

Potest etiam ad hoc valere quod dicebatur de revelatione Angelorum, sicut dicebamus de habentibus cursum visum, quod instruantur ab alijs, licet per multas conversiones possent per seipso illa cognoscere.

ANIMÆ ETIAM separatae possunt habere distinctam cognitionem de rebus particularibus per ordinacionem divinam.

HIS ITAQVE prælibatis, volu- Nec his  
obstant di-  
cta sancto-  
rum:  
mus declarare quomodo verificantur dicta sanctorum, quod animæ separatae nesciant quæ hic aguntur. Hoc autem quadrupliciter verificari potest. Primo quidem per comparationem ad species habitas per abstractionem, quæ, quantum est de se, non videntur esse aptæ natæ ducere in cognitionem perfectam particularium.

Secundo hoc verificari potest quantum ad diversas animæ conversiones: nam, ut dictum est, non habent animæ separatae hujusmodi cognitionem distinctam, nisi per multas conversiones. Sicut ergo verificantur de hominibus habentibus unde curtum visum que conciliantur quatuor modis cum hac doctrina, quæ hic aguntur: non quod localis distantia impedit cognitionem ipsarum: sed dicuntur habere intellectum curtum, quia propter debilitatem luminis non nisi per multas conversiones possunt de particularibus distinctam cognitionem habere.

Tertio quidem per comparationem ad animarum attentionem: nam animæ separatae attentæ & intentæ circa illa intelligibilia, quæ intelligentes habent majorem delectationem, quam quæ hic aguntur cognoscentes, non attentæ ad hæc dicuntur ista nescire, loquendo de naturali cognitione ipsarum, quicquid sit de cognitione, quam habent in verbo: nam non solum animarum, sed & Angelorum naturalis cognitio, cum est intenta ad unum, retrahitur & ab alio.

Quarto poterit hoc verificari quantum ad divinam ordinationem: scilicet quia animæ sanctæ sic sunt subditæ

ditæ voluntati Dei , quod etiam naturalem cognitionem suam totam ordinent ad divinum beneplacitum, ut solum de illis cogitent , de quibus vult Deus ipsas cogitare.

Sic quidem dicendum est de animabus sanctis : animæ vero existentes in pœna vel ex divina ordinatione , vel ratione penæ , quam patiuntur possunt retrahi, ut intellectum suum non ferant ad cogitandum de ipsis. Vel si cogitent , sicut ille dives de suis fratribus cogitabat , hoc esse poterit ex aliqua speciali affectione , quæ poterit esse inductiva ad cogitandum. Vel in

alijs fieri hoc potest ex divina permissione.

ARGVMENTVM AVTEM in contrarium peccat in materia , quia sufficit quod illæ species sint hoc modo connaturales animæ & separatæ , quod sint infusæ animabus , & sint derivatæ ab ideis divinis ad hoc , quod possint per tales species particularia cognoscere.


ET IN hoc nostrum quintum quodlibet terminetur. Laus sit ipso Christo , qui cum patre & spiritu sancto est unus Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen,

*Finis quinti-Quodlibeti.*



X x 3

QVOD.



## QVODLIBET SEXTVM.



*Ividetur quoque istud quodlibet in tria membra, quorum primo tractabuntur ea, quae spectant ad ens increatum: secundo quae ad ens creatum generaliter: Tertio quae ad ens creatum specialiter. Ponuntur vero quæstiones hoc ordine.*

- I. *Vtrum Deus ab æterno intellexerit facienda sicut nunc intelligit facta?*
- II. *Vtrum habens charitatem, sine speciali influxu Dei possit exire in actum meritorum?*
- III. *Vtrum filius Dei possit aliam naturam numero assumere in unitatem supposuit?*
- IV. *Vtrum creatio sit substantia, vel accidens?*
- V. *Vtrum diversa perfectibilia genere possit perficere una & eadem perfectio?*
- VI. *Vtrum perfectio, quæ est accidentis, possit esse in aliquo subiecto absque perfectione, quæ est esse?*
- VII. *Vtrum instans possit habere rationem plurium signorum?*
- VIII. *Vtrum via naturæ possit generari vel fieri novaspecies que, nunquam fuerit facta?*
- IX. *Vtrum forma accidentalis intensa & remissa sit eadem specie?*
- X. *Vtrum forma accidentalis intensa & remissa differant numero?*
- XI. *Vtrum tam Angelus quam anima humana ex eis, quod percipient veritatem, habeant esse incorruptibile?*

- XII. *Vtrum essentia Angeli vel animæ sint in genere cause efficientis respectu suarum potentiarum?*
- XIII. *Vtrum voluntas moveat alias potentias mediante aliquo influxu?*
- XIV. *Vtrum, si voluntas non moveret se ipsam, posset per actionem suum mereri?*
- XV. *Vtrum intelligere in Angelo & anima rationali fiat per contactum?*
- XVI. *Vtrum Angelus doceat hominem aliquid operando circa intellectum hominis?*
- XVII. *Vtrum cognitio ænigmatica possit infinitam augeri?*
- XVIII. *Vtrum beata Virgo, cum sit Virgo & mater Dei plus gaudeat de hoc quod sit mater Dei, quam de virginitate?*
- XIX. *Vtrum originale peccatum dicat puram privationem?*
- XX. *Vtrum, supposito, quod beata Virgo fuit concepta in peccato originali, in eodem instanti potuerit habere gratiam?*
- XXI. *Vtrum religiosus frangens silentium, cum agat contra constitutiones, peccet mortaliter?*
- XXII. *Vtrum lucrum acquisitum ex pecunia usuraria fit reddendum?*
- XXIII. *Vtrum periurium sit majus peccatum quam homicidium?*
- XXIV. *Vtrum intellectus agens perficiat intellectum possibilem per aliquam aliam actualitatem?*
- XXV. *Vtrum beati in patria possint loqui?*

**V**T QVÆSTIONES in nostro quodlibet propositiæ ad debitum ordinem reducantur, dicemus, quod quædam earum pertinent ad Deum, quædam ad Cœraturas.  
Sic ergo

## MEMBRVM I. DISPV TATIO.

V N I C A.

*De pertinentibus ad ens increatum.*



IRCA Deum quærebatur tria, quærebatur enim primò de actione Dei non transeunte: & quæstio erat de intelligere Dei; Vtrum ab æterno intellexerit facienda sicut nunc intelligit facta? Secundò quærebatur de actione Dei transeunte in exteriorem substantiam, secundum quod Deus dicitur induere in rebus creatis: & erat quæstio de habente charitatem: utrum sine speciali influxu Dei posset quis exire in actum meritorium? Tertio quærebatur de Deo, quantum ad naturam assumptam: & erat quæstio; utrum Dei filius absque depositione humanæ naturæ, quam habet sibi conjunctam in unitate personæ, posset alias naturam humanam numero assumere?

## QVÆSTIO.

P R I M A.

*Vtrum Deus ab æterno cognoverit futura sicut facta?*

Ægidius hanc questionem tractat in primum d. 38. p. 1. q. 1. & de scientia futuron contingentium ferè per tot. Gerard. q. un. item Gregor. q. 2. Argent. a. 2. Francisc. à Christo d. 35. q. 6. D. Th. d. 38. q. 1. 5. & 1. p. q. 14. a. 13. cum suis. & Scot. cum suis d. 39. Dur. d. 38. q. 3. Aureol. a. 1. Occam. q. un. Vasq. 1. p. d. 65. Sua. opusc. l. 1. Mol. q. 14. d. 17.



D PRIMVM sic procedebatur: ostendebatur enim, quod Deus ab æterno non cognoverit facienda sicut nunc cognoscit facta: quia res sicut se habent ad esse, ita ad cognitionem: quæ ergo non habent esse distinctum, nec distinctè cognosci possunt: sed res ab æterno non habebant esse distinctum à Deo, quia non habebant aliud esse, nisi in Deo, tanquam in sua causa; & creatura in creatore, nihil est aliud quam creatrix essentia: igitur cum Deus nunc cognoscat res distinctas a se, ab æterno autem non cognoverit eas distinctas à se quia non habebant esse distinctum à se: ergo &c.

IN CONTRARIVM allegabatur Aug. quinto super gen. ad literam volens Deum non aliter cognoscere facta quam facienda.

## R E S O L V T I O.

*Quia ratio diversitatis in cognitione futurorum & factorum in divina cognitione locum non habet, hinc dicere non possumus aliter Deum cognoscere futura, quam facta.*

**R**ESPONDEO, Dicendū, quod, Aliter eoz ut aliquod cognoscens cognoscifacta faciat res factas aliter quam facienda ex ciendas, quantum ad præsens spectat, ex tribus potest contingere: primò, si cognitio ejus causetur ex rebus. Secundò, si aliquo modo dependeat ex rebus. Tertiò, si cognitio ejus sit alia & alia secundum alium & alium accipiendi vel considerandi modum, quem videmus in rebus.

PRIMO ERGO hoc potest contingere, si haec cognitio causetur ex rebus: nam omnis cognitio causata ex rebus non eodem modo se habet ad

primo si res  
fint causa  
cognitionis

ad facta , sicut ad facienda : quia non eodem modo possunt hujusmodi cognitionem caussare facienda , sicut causant facta : sicut patet in scientia nostra , quæ præsupponit res esse , cum causetur à rebus : & per eam non ita possumus scire facienda , sicut scimus facta .

<sup>z. si falso</sup>  
dependat  
<sup>ex rebus;</sup>

**SECVNDO HOC** potest continere , si hujusmodi cognitio dependeat **ex rebus** , datò quòd non causetur **ex ipsis**: quod aliquo modo veritatem habet de cognitione Angelica. Scientia enim Angelorum non est causata à rebus ; quia non intelligunt Angeli per species à rebus acceptas , sed per species sibi à Deo concreatas ; tamen hæc scientia aliquo modo dependet **ex rebus**. Habent enim Angeli ipsas res tanquam objectum principale suæ scientiæ : non enim dici poterit de aliquo Angelo , quod non intelligat principaliter , nisi te ipsum , & quod cognoscendo suam substantiam cognoscat omnia ; intelligit enim Angelus non per suam substantiam omnia , sed per species sibi concreatas , quæ principaliter ducunt in cognitionem rerum , quarum suæ species : ideoque dicuntur Angeli cognoscere res in proprio genere. Si ergo Angeli cognoscant res ut habent esse in proprio genere , quæ non sunt determinata in proprio genere , naturali cognitione , determinatè ab Angelis sciri non poterunt. Et inde est , quod futura contingentia , quæ non sunt determinata in proprio genere , in se , quia sunt futura ; nec in suis caussis , quia sunt contingentia ; determinatè ab Angelis sciri non possunt.

Inde dictum est in Isaia ; dicite nobis quæ futura sunt , dicemus Vobis , quia dī es̄tis. Præsentia autem possunt sciri ab Angelis , quia sunt determinata in se , & futura necessaria , quia sunt determinata in suis caussis : futura autem contingentia , quæ non sunt determinata in proprio genere , secundum neutrum determinationis modum , ab Angelis determinatè sciri non possunt , nisi eis divinitus revealentur.

Hoc ergo modo cognitione Angelica , et si non causetur à rebus , dicitur ta-

men ex rebus aliquo modo dependere : quia ex rebus progredientibus in esse dicuntur talia fieri nota Angelis , quæ priùs ignota erant : habere enim cognitionem de rebus , ut sunt in proprio genere , est habere res tanquam principale objectum suæ cognitionis. Et consequenter est non ita cognoscere res facendas , sicut factas .

**TERTIO MODO** hoc potest contingere si sit alia & alia cognitio secundum aliud & aliud considerandi , vel accipiendi modum quem videmus in rebus. Dicimus enim , quod res dupli modo possint considerari vel accipi ; sub esse universali , vel particuliari. Iuxta quem duplē modum est in nobis duplex cognitione , sensitiva , & intellectiva : intellectus enim recto aspectu fertur in res universales : sensus autem in particulares : hac autem dupli cognitione in nobis existente non eodem modo cognoscimus facienda & facta. Datò enim , quod aliquis astronomus qui prævideret ecclipsim futuram in qua partē cæli , & in qua hora , & quot puncta deberet tunc ecclipsari de sole ; non tamen per omnem modum cognosceret illam ecclipsim futuram , sicut quando sensibiliter videret illam ecclipsim fieri .

**PROPTER NVLLVM** autem trium illorum modorum dicere possumus , Deum aliter cognoscere facta quam facienda. Non enim hoc potest dici propter hoc , quod scientia Dei causetur ex rebus , quia caussat res , juxta illud Aug. 15. de trin. cap. 13. universas res vel creaturas suas , & spirituales & corporales , non quia sunt ideo novit : sed ideo sunt quia novit. Et commentator in 12. metaph. vult , quod scientia Dei causet res : sed scientia nostra causetur à rebus .

Nec etiam hoc potest esse propter secundum modum ; ut dicamus quod Deus aliter cognoscat facta , quam facienda , quia scientia ejus habet aliquam dependentiam ex rebus ; ita quod progredientibus ijs in esse , incipiat Deus aliqua scire , quæ priùs nesciebat : quia Deus tanquam objectum principale suæ scientiæ non habet nisi se ipsum. Ideo Philosophus in 12. metaph. vult , quod Deus non intelligat nisi se ipsum . Quou-

<sup>3. propter</sup>  
<sup>diversum</sup>  
<sup>modum</sup>  
<sup>cognitionis</sup>  
<sup>nis; ut est</sup>  
<sup>intellectus,</sup>  
<sup>& sensus.</sup>

<sup>que non</sup>  
<sup>militant in</sup>  
<sup>cognitione</sup>  
<sup>Dei.</sup>

Quod intelligendum est, tanquam objectum principale. Primo enim & & principaliter Deus solum seipsum cognoscit, & se cognoscendo cognoscit alia. Vnde & Aug. 83. questionum. q. de ideis, vult quod sacrilegium sit dicere, quod Deus intueatur aliquod positum extra se, ad hoc quod agat, vel ad hoc quod cognoscat. Si ergo Deus diceretur cognoscere res, secundum quod sunt in proprio genere, ita quod principale objectum scientiae suæ essent ipse res; quia aliquam mensuram oportet dare in ipsa scientia, & in ipsa cognitione, secundum modum, quem videmus in ejus principali objecto, cogeremur ponere, quod Deus non sic cognosceret facienda sicut facta,

Nec etiam dicere possumus, quod propter tertium modum Deus aliter cognoscat facta, quam facienda; ut quod sint in eo non solum cognitione intellectiva, sed etiam sensitiva, quæ solum apprehendit objectum præsens: secundum quem non ita possumus cognoscere facienda, sicut & facta: quia ut ait Aug. 15. de tri. c. 5. Simplex illa natura, scilicet divina, sicut intelligit sentit & sicut sentit intelligit. Est ergo illi idem sensus qui intellectus.

HÆC AVTEM tria, ex quibus arguimus, quod cognoscens non eodem modo cognoscat facienda & facta; videlicet causalitas cognitionis, dependentia, & diversitas cognoscendi, sic possunt ad aptari, ut causalitas referatur ad ipsam cognitionem, dependentia ad cognitionis objectum, diversitas cognoscendi ad cognitivam potentiam.

Quando ergo cognoscens habet cognitionem causatam à rebus, vel quia habet diversas res tanquam principale objectum suæ cognitionis, vel quia habet diversas potentias cognitivas; ut non solum intellectum, sed etiam sensum, hujusmodi cognoscens non eodem modo cognoscit facienda sicut & facta. Quia ergo nihil horum possumus attribuere ipsi Deo, consequens est, quod Deus non aliter cognoscat facienda quam facta: unde Aug. 15. de tri. cap. 13. loquens de cognitione Dei respectu creaturarum ait; *Quare non aliter eascivit creata quam creanda.*

AD ARGVMENTVM in contra-

rium dicendum, quod res in Deo ab æterno etsi non haberent distinctum esse, habebant tamen distinctam representationem; quia distinctè repræsentabantur in Deo. Vnde Aug. 83. q. q. de ideis, vult, quod singula proprijs sunt condita rationibus: hujusmodi autem rationes ab æterno fuerunt in Deo: propter quod ab æterno quodlibet ens creatum, sicut propria ratio, ita dicitur esse factum ab æterno.

Non ergo Deus aliter scit facta quam facienda, quantum est ex parte scientis: quia non pleniorē cognitionem habet de rebus factis; sciebat enim res factas antequam fierent, quantum ad omnes circumstantias, secundum quas fieri debebant, ut nihil ejus scientiæ accreverit ex factione rerum; tamen quantum est ex parte rerum scitarum, aliter scit facta quam facienda quia facta scit esse facta & facienda scit esse facienda aliter enim deciperetur in sua scientia. Deus itaque non aliter se habet sciens facta & facienda: sed ipsa scita aliter se habent facta & facienda: quia in Deo propriam representationem habebant; omnes enim res sunt aliter aptæ natæ imitari Deum: propter quod divina essentia ab æterno, ut erat imitabilis hoc modo ab hac creatura, erat propria ratio in Deo & propria representatione illius: ita quod hujusmodi essentia in Deo esset ratio cognoscendi se & alias; tamen se aliter: nam se primo & principaliter, alias autem ex consequenti: nec eodem modo omnia alias: sed propriè & distinctè; ut potest patere per habita, erat representativa omnium aliorum: propter quod propriè & distinctè de se, & de alijs habuit Deus cognitionem ab æterno, sicut & habet modo.

AD FORMAM autem argumenti, cum dicitur, *sicut res se habet ad esse ita ad cognosci*: non est intelligendum, quod non possint distinctè cognosci, quæ non habent distinctum esse: nam sufficit, ut patet, quod habeant distinctam representationem: pro tanto tamen veritatem habet quod dicitur, quia omnis hujusmodi diversitas cognitionis rerum ad earum esse potest aliqualiter referri: dicimus enim quod nunquam possit esse actu quantitas

Y y fine

sine qualitate: potest tamen intelligi quantitas, non intelligendo qualitatem: quomodo ergo verificabitur quod quantitas sicut se habet ad esse, ita & ad cognitionem? Hoc ergo ideo est, quia ad ipsum esse quantitatis & qualitatis refertur, quod quantitas possit intelligi non intellecta qualitate: nam cum quantitas sit prior qualitate secundum esse, quod habet in materia; & prius secundum esse non dependeat a posteriori, sed e converso; hoc modo quantitas sicut se habet ad esse, sic & ad cognosci, sive ad intelligi: quia ex esse quantitatis sumitur, quod possit sine qualitate intelligi & cognosci. Sic & in proposito diversa representatio aliquo modo refertur ad diversum esse rerum: ab æterno enim divina essentia poterit dici aliter imitabilis ab hac, quam ab illa; propter quod divina essentia etiam ab æterno aliter representabat hanc rem, & aliter illam; quod ad diversitatem esse rerum referri potest, non quod ab æterno res haberent esse; sed quia ab æterno Deus in te ipso cognoverit quod diversis rebus non poterit competere idem esse & non poterunt eodem modo imitari divinum esse: propter quod distincte representari poterant per divinam essentiam sive per divinum esse.

## QVÆSTIO


SECUNDA.

*Vtrum habens charitatem sine speciali Dei influxu possit exire in actum meritorium?*

De sufficienti necessitate & influxu charitatis in actum meritorium tractat Egidius in primam d. 17. p. 1. q. 1. & 2. Greg. q. 1. a. 2. Ger. ibid. Arg. a. 3. Fr. A. Christo q. un. Alphon. Tol. d. 8. q. un. a. 2. D. Th. d. 17. q. 1. a. 1. & 1. 2. q. 109. a. 5. cum comment. Scot. d. 17. q. 2. cum suis. Dur. q. 2. Occam. q. 2. Effius §. 4.

Egidius vero hic ostendit quomodo habitus charitatis non sufficiat nobis ad hoc ut exeamus in actum meritorium, sed requiratur specialis Dei influxus ex triplici capite, secundum triplicem affectionem

vocis, specialitas: idque ex comparatione Dei ad alia agentia, ad alios effectus ab actu meritorio, & ex comparatione actus meritorij ad alios effectus.



ECVNDO Quærebatur de divina actione transcidente in exteriorem materiam, secundum quod dicimus, quod Deus habeat causare influentiam super ipsis rebus. Erat autem quæstio de divina influentia per comparationem ad habentem charitatem; utrum habens charitatem sine speciali influxu Dei possit exire in actum meritorium?

ET ARGVEBATVR quod non; quia, ut dicebatur, motores secundi non possunt exire in actum suum sine speciali influentia motoris primi: & quia in omnibus nostris actionibus Deus se habet sicut motor primus, quantumcumque habeamus charitatem non poterimus exire in actum, sive in opus, sine speciali influentia Dei.

Præterea, ut dicebatur, charitas non habet esse sine Deo: ergo non potest exire in actum sine Deo.

CONTRA: HABITVS est, quo quis potest uti cum vult: ex quo ergo habemus habitum charitatis non requiritur ibi alia specialis influentia Dei: sed, sicut volemus, poterimus uti ipso & exire in actum, sive in opus, per ipsum.

## RESOLVATIO.

*Tribus modis suprapositis concurrit Deus specialiter ad opus meritorium ex charitate.*

**R**ESPONDEO, Dicendum, quod <sup>quod declaratur tribus modis.</sup> habeamus charitatem non possimus exire in opus meritorium sine speciali influentia Dei. Quod tripliciter declaratur, prout hic, specialitas, tripliciter potest accipi.

Primo, prout Deus comparatur ad Dei ad alia agentia, ut quia aliter agit, quam

Quam efficientia alia. Secundo prout comparatur ad alios effectus; ut quia aliter agit hunc effectum, qui est actus meritorius, qui est quasi supernaturalis, & effectus alios, qui sunt proportionati suis causis, qui dicuntur effectus naturales. Tertio, prout hujusmodi effectus comparatur ad alios effectus; quia non est eadem ratio de ipso & effectibus alijs.

SECVNDVM PRIMVM modum erit intellectus questionis; Quod non possimus exire in actum meritorium sive speicali influxu Dei, id est non poterit hoc fieri nisi Deus super hunc effectum habeat specialem actionem & influentiam, quam non habent alia agentia super effectus suos. Et sic, non agere sine speciali influxu Dei, non solum habet veritatem in operibus gratiae: sed etiam in operibus naturae: nam natura hoc modo non potest exire in opus sine speciali influxu Dei: nam quodlibet opus naturae operatur immediate Deus: & hoc debere co- est speciale ipsius Dei; quod nihil currere, ut possit agens proximum, nisi illud idem sint in actu immediatè operetur Deus. Et quia est Dei speciale.

hoc est speciali ipsius Dei, & non competit alijs agentibus; ideo comparatione Dei ad alia agentia dicitur natura non posse exire in opus sine speciali influxu Dei: & si hoc est in operibus naturae, multo magis erit in operibus gratiae.

Dicemus equidem quod Deus aliqua agat ita immediate, quod non agat illa mediata; cuiusmodi est opus creationis: hujusmodi enim opus Deus agit ita immediate, quod nullo modo producatur agat ipsum mediate: quia alia agentia non cooperantur Deo in hujusmodi opere. Sed Deus nihil agit ita mediata, quod non agat illud immediate. Et hoc est speciale ipsi Deo. Ideo omnia secunda agentia dicuntur nihil facere, sive sint illa opera naturae, sive gratiae sine speciali influxu Dei, sive hac influentia divina: quod est speciale ipsi Deo; quia nullis alijs agentibus hoc competit, quod possint isto modo agere, ut agit Deus. Opus enim naturae, quocumque sit illud, utputa calefacere ipsius ignis, totum est immediate à Deo, & totum est imme-

diatè à natura, sicut in nostris questionibus de primo principio diffusus diximus. posset enim Deus, si vellet, quodlibet opus naturae, sicut agit immediate totum, ita agere immediate totaliter ut nihil cooperaretur natura in hoc opere: sed ut non essent supervacua operi sapientiae suæ, & ut creaturæ non essent otiosæ voluit dignitatē nam communicare creaturis, & voluit, quod creaturæ cooperarentur sibi in his effectibus.

Opus ergo naturae totum est immediate à natura, & totum immediate à Deo: sed non est totaliter immediate à natura, nec totaliter immediate à Deo; ita quod in hoc opere non excludatur actio naturae nec excludatur actio Dei. Est enim totum hoc opus à natura sub ratione generali. Habet enim se Deus, ut innuit, *Dionysius* in hujusmodi operibus uniformiter ad omnia agentia; ideo omnia hæc opera hoc modo erunt à Deo prout in agendo convenienter omnes causæ. Omnes enim causæ convenienter in dando esse; differunt autem in dando tale esse: prout ergo in illo effectu reservatur ratio entis, erit immediate à Deo; at prout reservatur ibi ratio talis entis, immediate à secundis caussis. Omnis ergo effectus etiam naturalis sic erit immediate à Deo & à secundis caussis, quod per prius dicetur ipsum immediatè attingere Deus, quam secundæ causæ: quia prius intelligitur esse ens, secundū quem modum dicitur esse à Deo, quam esse tale ens, secundū quem modum dicitur esse à secundis caussis. Et inde est quod in lib. de causis dicitur, quod causa prima ad omnem effectum primo advenit, & ultimo recedit. Si enim debet res generari, prius intelligitur esse ens, quam hoc ens: prius intelligitur, quod cesset esse hoc ens, quam cesset esse ens. Ideo actio causæ primæ prius dicitur advenire, & ultimo recedere: ideo actio naturae dicitur presupponere actionem Dei, sicut posterius presupponit prius. Sic ergo Deus operatur in omni opere naturae intime & immediate, ut quod si Deus illam operationem subtraheret, continuo extincta remuneret operatio naturae: unde Aug. 9. super gen. ad literam loquens de hujusmodi operatione divina dicit. *Quare*

natura agit interiori motu nobis occultissimo; cui tamen, si Deus subtrahat operationem intimam, quā eam substituit, & facit continuo, tanquam extincta nulla remanebit. scilicet, operatio naturae.

Opera ergo naturae non sunt sine speciale influxu Dei, id est non sunt sine intima & immediata operatione Dei, quod per comparationem ad alia agentia est speciale ipsi Deo. Et si hoc est in operibus naturae, multo magis erit in operibus gratiae.

*2. ex com. paratione ejusdem ad alios effectus.* SECUNDО HOC idem patet si hujusmodi specialitas sumatur, pro ut comparatur ad alios effectus; sicut dicitur aliter immediatè agere opera gratiae, quam opera naturae, quia non omnia hujusmodi opera eodem modo agit.

*per simili- tudinem habentis penum ad scribendum* Dicemus enim, quod opus gratiae ad habentem gratiam, & opus naturae ad naturam, sive ad habentem naturam, quasi assimiletur pennae in manu scriptoris periti, & pennae in manu pueri: nam quia scribere est proportionatum scriptori tali, si ponatur penna in manu ejus, scribebat scriptor illa pennam: sed si ponatur in manu pueri, quia scribere non est proportionatum pueri, si debeat puer scribere, non sufficit quod habeat pennam in manu sua: sed oportet quod aliquis sciens scribere capiat manum pueri, & ducat eam, ut faciat ipsum pennam scribere.

Sic & in proposito, opera naturae sunt proportionata naturae: ideo habens naturam potest in hujusmodi opus supposita generali influentia Dei, prout agit immediatè in omni opere naturae: sed opera meritoria sunt quasi improportionata nobis, propter quod gratia habitat nos magis, ut possimus agi secundum illa opera, quam ut possimus agere: sicut rotunditas in sphæra non facit, quod sphæra moveat se motu circulari: quia nihil seipsum ita movet, imo omne quod movetur ab alio movetur: sed haec rotunditas habitat eam, quod possit moveri ab alio motu circulari. Quod etsi non sit omnino simile in proposito, quia coadjutores Dei sumus & aliquo modo agimus, habendo gratiam, opera gratiae: attamen quamvis nec natura agat sua opera sine actione Dei, nec

habens gratiam agat opera gratiae sine actione Dei, tamen magis debet dici natura, vel habens naturam opera naturae, quam habens gratiam agere opera gratiae. Si enīm alicui rei daretur forma supernaturalis, non posset per illam formam ita agere supernaturalia opera, sicut habens naturam potest agere opera naturalia: per formam enim, quae naturaliter competit subjecto, potest subjectum magis agere opera illius formae tanquam fibi magis proportionata, quam per formam non naturaliter illi subjecto competentem. Et inde est, quod in operibus gratiae magis dicamus agi quam agere. Ideo scribitur *ad Rom. 8. Qui spiritu Dei aguntur, & filij Dei sunt.* Filij enim Dei per gratiae adoptionem spiritu Dei aguntur: quia in his, quae sunt gratiae, magis dicimus agi quam agere. Inde, est etiam quod, quia opera gratiae sunt magis nobis impropotionata, & contra opera naturae sunt magis nobis proportionata, Deus specialiter dicitur haec opera facere, ideoque dicamus, quod *omnia opera in nobis operatus est Deus:* & quod non sit volentis velle, neque currentis currere: sed totum miseren-  
tis sit Dei: propter quod dicitur *operari in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*

NATURA ERGO non dicitur operari sine speciale influxu, prout Deus comparatur ad alia agentia: quia hoc est speciale ipsius Dei, nihil agere mediatic quod non agat immediatè: sed habens gratiam & charitatem dicitur non posse exire in opus meritorium sine speciale influentia Dei, non solū prout Deus comparatur ad alia agentia; quia necesse est Deum haec opera agere immediatè, quod est speciale ipsius Dei respectu aliorum agentium: sed etiam hoc dicitur prout Deus comparatur ad alios effectus; ut ad effectus naturales, quos dicitur aliter agere, quam opera gratiae. nam quia opera naturae, ut dicebatur, sunt magis proportionata habenti naturam, quam opera gratiae habenti gratiam, habens naturam magis dicitur agere opera naturae, quam habens gratiam opera gratiae: Immo, ut dicebatur

cebatur, in operibus gratiæ magis dicimus agi quam agere, & quia agi est ab agente influentiam recipere, opera gratiæ non dicimus agere sine speciali influentia Dei, ut sit sensus, quod hoc sit speciale in operibus gratiæ, quod specialiter dicatur illa facere Deus respectu operum naturæ.

DICEMVS AVTEM, quod, si velimus dictum nostrum concordare scripturæ sacræ, in operibus meritorijs, quanto plus possimus, tanto plus debeamus dare gratiæ, & quanto minus naturæ, dum tamen salvetur libertas arbitrij: & quod, quando volentibus nobis talia opera fiunt, quanto plus possimus debeamus afferere, quod hoc fiat per gratiam, & prout movemur à spiritu sancto magis, quam hoc fiat per naturam, prout movemui solum ab objecto. Constat autem, quod, quantumcumque moveatur voluntas à spiritu sancto, non moveatur nisi volendo: quia hoc est movere voluntatem, cauſare in ipſa actum volendi. Si ergo tota trinitas, & appropriatè spiritus sanctus operetur in nobis velle & perficere pro bona voluntate: eo ipso, quod operatur in nobis velle, oportet quod nos velimus: & hoc fiat volentibus nobis. Hoc ergo erit à spiritu sancto qui operatur hoc in nobis: & erit à nobis, quia fit volentibus nobis. Sic itaque concordamus dictum nostrum sacræ scripturæ, ut semper in merendo à spiritu sancto fiat specialis influxus in nobis, qui speciali modo omnia hæc opera dicitur operari in nobis.

*si comparetur effectus inter se.*

TERTIO HOC idem patet, si hujusmodi effectus comparetur ad alios effectus: nam opera gratiæ non possunt dici ita opera nostra sicut opera naturæ dicuntur opera rerum naturalium, quia ex hoc videretur, quod posset gloriari omnis caro in conspectu ejus. Et inde est quod dicitur Isata 64. *Quasi pannus menstruatæ sunt omnes infitiae nostra:* justitia enim nostra, quam possumus appropriare nobis sine speciali influentia Dei, suppositâ etiam ejus influentia generali, prout operatur in omni opere naturæ, omnis inquam talis justitia non est accepta Deo, sed est immunda in conspectu ejus, & est coram eo quasi pannus mulieris

menstruatæ. Ergo prout hic effectus comparatur ad alios effectus, quia specialiter effectus gratiæ dicitur esse meritorius coram Deo, & gratus Deo, patet quod non sit hic effectus ita noster, sicut effectus naturæ dicitur esse naturæ: quia si esset sic noster non esset acceptus Deo, ut est per habita declaratum: plus ergo, quam in operibus naturæ, dicitur Deus speciale influentiam facere in operibus gratiæ.

ADVERTENDVM autem quod influentia divina in operibus naturæ dicatur generalis & spiritualis: generalis quidem si comparetur Deus ad ipsos effectus naturales; quia hujusmodi effectus sunt à Deo secundum quendam rationem generalem & ut habent rationem in entis: nam Deus in talibus effectibus dicitur se habere uniformiter ad omnia. Est tamen talis influentia specialis, prout Deus comparatur ad alia agentia, quia speciale est Deo, respectu aliorum agentium, sic influere & sic immediate omnes tales effectus agere. Sed influentia divina in operibus gratiæ dicitur esse specialis, non solum prout Deus comparatur ad alia agentia, sed etiam prout comparatur ad alios effectus: & etiam prout hujusmodi effectus comparatur ad alios effectus, prout est per habita manifestum.

QVOD VERO obijciebatur, quod habitu charitatis possimus uti cum volumus: dici potest, quod hoc dictum non repugnet veritati prædictæ; quia semper Deus assistit voluntati nostræ, & est præsens animæ nostræ, & præsto ad movendum voluntatem nostram, ut possimus uti, cum volumus habitu charitatis.

## QVÆSTIO.

## TERTIA.

*Vtrum Dei filius posset aliam numero natüram humanam assumere in unitatem suppositi non deponendo eam, quam habet?*